



**R.P.Fr. Lvdovici Granatensis Ordinis S. Dominici SS.
Theologiæ Professoris Opera**

In tres tomos distributa

Opvscvla Spiritvalia Continens, in quibus peccatores à semita vitiorum &
perditionis, ad regiam virtutum, perfectionis, ac salutis æternæ viam,
perducuntur

Luis <de Granada>

Coloniae Agrippinae, 1626

[Pars Prima.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79597)



ADIVNCTI

MEMORIALIS VITAE CHRIS- TIANÆ,

R. P. F. LVDOVICI GRA-
NATENSIS:

INTERPRETE MICHAELE AB ISSELT.

LIBER PRIMVS.

IN QVO TRACTATUR DE AMORE DEI,
in quo consistit perfectio vitæ Christianæ.

DE NOVE MAXIMIS PRÆROGATIVIS, SEV EXCEL-
lentijs Amoris Dei.

CAPVT I.



NEQVAM de exerci-
tijs, & medijs, quibus amor
Dei acquiritur, agere inci-
piamus, vtile erit aliquid
de fructibus & prærogati-
uis huius amoris præmitte-
re, vt qui ad illum totis vi-
ribus aspirat, cui rei stu-
deat, non ignoret: certi e-

nim sumus, magnitudine præmij, laboris difficul-
tatem minuendam. Postquam enim eum erit con-
secutus, non dubito, quin dicet cum Sponsa in Can-
ticijs: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ
pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Consultum i-
gitur omnino est, vt cum forti illa muliere in Pro-
uerbijs Salomonis gustemus prius & videamus, quia
bona est negotiatio nostra, ne tergiversemur dare pro
illa, quod postulat. Nemo autem existimet exi-
guo scripto posse comprehendere, quicquid hæc vir-
tus meretur: imò nescio an melius sit, eam silentio
honorare, quam de illius laudibus non sat digne
disputare. Cum enim Charitas sit finis & perfectio
omnium mandatorum, quicquid scriptum est, tam
in sacris literis, quam in Sanctorum libris, aut Cha-
ritas est, aut ad charitatem pertinet. Ex quo facile
colligitur, quæ exiguum est, quod de singulari hac
virtute dici potest, cum omne id, quod de illa scri-
ptum est, & scribi vnquam poterit, non futurum sit
sufficiens, ad magnitudinis illius pelagus exhauri-
endum. Breuiter igitur hic aliquot eius insigniores
prærogatiuas referemus, quibus alias virtutes om-
nes antecedit: ex ijs enim quodam modo cognosce-
tur quid ipsa sit.

Prima præ-

Prima est, quia (iuxta phrasin Theologorum) lo-

quendo) Regina est virtutum, omnibusq; alijs ex-
cellentior. Quod vt bene intelligatur, sciendum est,
virtutes Theologicas (vt sunt Fides, Spes, Charitas)
principatum habere super omnes alias, eo quod ho-
norant, & respiciunt Deum, tanquam finem super-
naturalem, & ad eum hominem ordinant, licet mo-
dis diuersis. Fides enim respicit Deum tanquam pri-
mam veritatem, tribuens firmum & integrum assen-
sum omnibus rebus, quæ per illum reuelatæ sunt.
Spes respicit Deum tanquam altissimum, & sum-
mum bonum, quod homo se assecuturum sperat, di-
uina gratia, & bonorum operum meritis suffultum.
Sed Charitas inuenit Deum tanquam summum bo-
num, dignum quod ametur propter illud, quod est,
idque amore summo. Is autem modus respiciendi,
& honorandi Dei est excellentissimus: & propter
ea Charitas Fide & Spe nobilior est. Fides enim in-
tuetur Deum cum obscuritate, & quasi sub velo:
Spes verò, tanquam bonum arduum, quod necdum
etiā possideretur, sed cuius possessio speratur: & Deū
respicit cum aliquali vtilitate, seu proprio commo-
do; appetit enim eum ob propriam perfectionem,
& hoc in suo genere pertinet ad amorē, quē Theo-
logi appellant concupiscibilem: Charitas verò a-
mat Deum amore vera amicitiae, hoc est, puro, &
nullius vtilitatis spe permixto. De quo dicit Bernardus:
Amor purus seipso contentus est, præmium non
quaerit. Hoc amoris modo anima in se Deum possi-
det: conditio enim perfecti amoris est, omnibus sen-
sibus occupari in re amata, & cum illa vniri, & in il-
lam transformari: & sic Deo per amorem congluti-
nari, vel incorporari: iuxta illud Ioannis: *Deum Cha-
ritas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, &
Deus in eo.* Qui vnionis cum summo bono modus,
eo quod

Cant. 8.

Prou. 31.
De charitate
quam parū
dici potest.

Regina ex-
cellens alijs.

Bernard. de
diligendo
Deo.

1. Ioan. 4.

ed quod intus sit, facit, quod Charitas omnium virtutum est excellentissima: quod & Augustinus insinuat, cum dicit, Nihil est pretiosius anima, quae possidet charitatem: nisi Dominus ipse, qui charitatem dedit. Ex quo colligitur, si haec virtus omnium virtutum sit excellentissima, etiam opera & exercitia illius omnibus aliarum virtutum exercitiis esse excellentiora. Ea enim opera excellentiora sunt, quae ab excellentiori principio & habitu procedunt, quare si habitus Charitatis optimus sit omnium habituum spiritualium: sequitur, quod actus huius virtutis, qui est amare Deum actualiter, erit optimus actus, & maxime meritorius, omnium aliorum actuum. Neque derogat haec ratio singulari martyrij excellentiae & praerogativae, quae in hac vita est: quod enim martyrium Deo tam est acceptum, non id habet ex se, sed ratione charitatis, quae facit illud acceptum, & Deo gratum, sine qua martyrium non erit martyrium, sed, ut Apostolus indicat, tormentum inutile.

1. Cor. 13.

Secunda
Charitatis
praerogativa.

Secunda Charitatis praerogativa est, quod non tantum omnibus est excellentior: sed quia finis est omnium virtutum, omnium mandatorum, & consiliorum diuinorum, quae omnia ad hunc finem ordinata sunt: adeo, ut quemadmodum cibis ad sustentandum corpus, vellementum ad tegendam nuditatem, & medicina ad sanitatem data est: sic tota lex Dei ordinata sit ad amorem proximi, propter amorem Dei. Nec sola lex Dei, omnesque Scripturae diuinae, sed & creaturae omnes, tam in caelo, quam in terra, hoc est, vniuersa haec magna mundi machina ad hunc eundem finem ordinata: in hunc enim finem praecipue creata est. Intelligat igitur homo, quot titulis obstrictus sit ad amandum Deum; cum eo fine manibus Domini formatus sit, ad eum finem viuat; in eum finem calum, aer, terra, mare, & omnes creaturae illi famulentur. Omnia haec, quantum in se est, infructuosa facit, & frustranea, si a mori diuino non incumbat.

Tertia
Charitatis
praerogativa.
Simile.

Tertia praerogativa est, quod Charitas non tantum finis est omnium aliarum virtutum: sed etiam anima, vita, & perfectio omnium illarum. Quare, quemadmodum corpus sine anima corpus quidem est, sed vitam non habet: sic & virtus sine charitate, quamuis bonus habitus animi sit, vitam tamen non habet, nec pretium, nec meritum coram Domino, neque ad satisfaciendum ei pro peccatis, neque ad gratiam promerendam, neque denique ad gloriam comparandam; quamuis tamen utilis sit ad alia nonnulla. Ratio est, quia cum homo ipse Deo non est gratus, neque opera eius grata Deo esse possunt. Praeterea, quemadmodum homo non tenetur aestimare, quod propter se, aut in gratiam sui non fit: sic nec Deus aestimat ea opera, quantumuis etiam excellentia, quando non sunt propter amorem sui. Etenim si velis ieiunare, eleemosynam dare, castitatem, iustitiam, & patientiam colere, nihil autem horum facere propter Deum, (quemadmodum & multi Philosophi gentiles fecerunt) qua de causa Deus haec respiceret, aut remuneraret? Quare virtus haec tantum est excellentia, ut sola per se pulchra sit, & in oculis Dei accepta extra quam nihil est, quod illi placeat. Quare & Charitas aliquo modo cum Filio Dei potest comparari. Quemadmodum enim non est creatura rationalis, nec in caelo, nec in terra, in qua beneplacitum est Deo, praeterquam in dilectissimo Filio suo: sic nulla virtus, nulla actio est tam excellens, quae placeat Deo, nisi charitatem habeat adiunctam, & illius pulchritudine condecoretur. Propterea non immerito virtus haec appellatur radix, & principium omnium meritorum, totiusque vitae spiritualis: quidquid enim alicuius pretij est in conspectu Domini, id di-

Granat. Opus. spiritual.

gnitatem suam habet ex charitate. Ita ut, quod radix arbori, quod anima corpori, quod Sol mundo est; hoc omne est; charitas cordi Christiani. Non vident rami, nisi cum radicibus adherent: non viuunt membra, nisi viuificentur ab anima, nec mundus lucem haberet, si Sol auferretur: sic & opera nostra nec vitam, nec meritum, nec lucem habebunt, nisi quantum charitas illis tribuit. Huius rei multis verbis fidem facit D. Paulus, cum ait: *Silinguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut as sonans, aut cymbalum tintiens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest.* Vides igitur ex his apertissime, virtutes omnes, omniaque dona Dei, quae sunt alicuius pretij, omnem suam dignitatem a charitate mutuare.

Charitas o-
pera indiffe-
rentia facit
meritoria.

Porro non tantum opera virtutum in charitate facta placent Deo, sed & ea, quae indifferentia vocantur, & quae naturalia sunt, necessariaeque ad vitae sustentationem, modo sint charitate animata, Deo grata sunt, & accepta: Ita ut sine charitate aurum virtutum, fiat lutum, & lutum cuiuscunque operis, quantumuis abiecti, fiat aurum cum charitate. Propterea dicit Augustinus: Ama, & fac quod vis: si tacueris, tace propter amorem: si loquaris, loquere propter amorem: si ignoueris alicui, ignosce propter amorem: si castigaueris, castiga propter amorem: quid enim ex amore fit, id omne meritorium est coram Domino. Quid igitur amore potest esse diuinius, qui opera quoque indifferentia facit diuina? Diximus supra charitatem esse aurum; nunc etiam dicimus tale aurum esse, quod omne id, quod agit, aurum facit. Quod darent homines pro tali arte Chymica, cuius beneficio omne metallum possent in aurum conuvertere? Quo igitur in pretio habenda est virtus haec, quae ex plumbo facit aurum, ex ferro facit aurum? volo dicere omne opus quantumuis vile aeternae vitae meritorium fieri, per charitatem.

Hanc ob causam summa nostra cogitatio, assiduumque studium esse deberet, ut adimpleamus illud Apostoli: *Omnia vestra fiant in charitate.* adeo ut, siue manducemus, siue bibamus, (ut idem alio loco ait) siue aliud quid faciamus, omnia in gloriam Dei faciamus. quasi diceret; Quidquid facitis, quantumcumque humile sit, in charitate facite, ut sit meritorium. Non erat in templo Salomonis quicquam, quod auro non esset vestitum: sic & in anima nostra non deberet esse aliquid, quod non esset vestitum charitate.

1. Cor. 16.

1. Cor. 16.

3. Reg. 10.

Huius virtutis efficacia latius adhuc sese extendit: non enim opera tantum indifferentia facit sua; sed etiam aliena facit propria. Hoc est quod D. Gregorius ait; Charitas aliena bona amando facit sua, inuidia autem eadem odio habendo, in pectoris sui vertit vulnera. Discant igitur hic inuidi, quanta sit virtus charitatis, quae sine molestia molestias aliorum facit proprias.

Charitas o-
pera aliena
facit sua.

Necdum his terminis clauditur charitatis efficacia: non enim bona tantum proximi facit nostra: sed etiam nos facit participes omnium bonorum Christi, totiusque Ecclesiae, quae corpus est Christi mysticum: Quia igitur Charitas vnit, connectitque corpus cum capite, & caput cum corpore, hoc est Christum cum Ecclesia: sequitur, charitatem esse illam, quae facit ut bona vnius sint etiam alterius; quemadmodum & salus communis totius corporis, est beneficium singulorum membrorum.

Charitas o-
mnium merita
Christi &
Ecclesiae fa-
cit nostra.

Quarta Charitatis praerogativa est, quod non tantum

Ddd 2

rūm

rogatus.
Charitatis.

Simile.

Charitas si-
milis Deo.

Filia chari-
tatis.

Exemplum
ab arbore
sumptum.

Rom. 13.

August.
Sermo. de
laude cha-
ritatis.

Idem. Ibid.

tum vita est omnium virtutum: sed etiam stimulus, & calcar, vel incentiuum, excitans in nobis ceteras omnes: vocat enim omnes ad suum exercitium, & ut officij sui memores sint hortatur. Ex amore namque Dei (quando magnus est) nascitur feruentissimum desiderium Deo placendi, & sanctæ illius voluntati satisfaciendi: quia verò Christianus scit nihil gratum esse Deo, nisi obedientiam, & obseruantiam diuinorum madorum, operaque virtutum, ijs confestim operam dat, magnaque alacritate sese exercet in ijs, quæ spectant ad diuinum obsequium: adeo ut quemadmodum sponsa, aut matrona nupta, quæ deperit maritum suum, quò plùs illum amat, eò diligentius studet ea facere, quæ marito suo nouit esse grata, tam in re domestica, quam in propria personæ cultura: sic anima, quæ ex toto corde celesti sponso placere desiderat, querit omnem illà mundiciem atque ornatum, quibus scit eum delectari. Quia verò nouit nullum illi cultum & ornatum gratiorem esse virtutum synthesi, sine vlla mora illam induit, & hoc mundo muliebri sese exornat. Quia in re charitas magnam etiam cum ipso Deo, quem amat, habet similitudinem: quemadmodum enim ille, cum vnus sit, & simplicissimus in sua essentia, tamen est omnia in perfectione, & omnipotentia: sic & charitas in suo genere, in potestate sua, suoque quasi imperio subiectas habet virtutes omnes. Quare & Apostolus illi omnes virtutes attribuit, sicut paulò post videbimus. Quævis enim eius filia propriè non sint, (vt quæ duos tantum proprios filios habet, qui sunt Amor Dei, & Amor proximi) tamen omnes hæ creaturæ illius sunt, & obediunt eius imperio. Vt aut hoc dilucidius intelligamus, possumus imaginari duas arbores, vnâ mortis, alteram vitæ; vnâ vitiorum, alteram virtutis; vnus eiusdemque inter se proportionis. In arbore mortis (sicut & in omnibus alijs arboribus) sunt radices, rami, & fructus: radix, est peccatum originale, q. (vt Theologi loquuntur) actus peccatum est vnum, potentia verò omnia: truncus, est amor proprius, cum est inordinatus: rami, sunt omnes passionnes & desideria inordinata, quæ ex amore illo inordinato procedunt: fructus, sunt vitia, & mala opera, quæ ex malis istis desiderijs oriuntur. Hic est modus & constitutio arboris mortis: & similis est arboris vitæ. Huius enim arboris radix, est gratia Spiritus sancti: truncus ex radice natus, est Charitas: rami, sunt virtutes, quibus omnibus (vt iam diximus) charitas dominatur: ex his virtutibus deinde fructus bonorum operum nascuntur, & diuinorum mandatorum obseruantia. Bene igitur dictum est à Paulo, *Plenitudo legis est dilectio. &c. Qui diligit proximum, legem impleuit*. Optimè igitur D. Gregorius; Amor Dei, inquit, nunquam est otiosus: si namque verus sit, semper operatur grandia. Ergo & optimè igni comparatur, qui omnium elementorum est maxime actiuus, quantò enim amor Dei est vehementior, magisque desiderio amata rei æstuat, tantò minus quiescit, magisque cupit ei, quem amat, placere. Non dissimile est illud Augustini; Mihi videtur q. definitio brevis & vera virtutis est, ordo amoris. Ille enim verè virtute præditus est, qui omnia iusto amoris diligit pondere, amans singula illa amoris mensura, qua debent amari, & non amplius.

Hinc est, vt qui amorem hunc habet, fertur in omnibus rebus modum, iuxta illud eiusdem Augustini: Charitas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat: in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione, tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres latissima, inter falsos patientissima. Et in alio loco, Charitas inter opprobria secura est, inter odia benefica est: in-

ter iras placida est, inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans.

Sed iucundus est omnes hos fructus ex ore ipsius Apostoli audire, qui laudans hanc virtutem, eique imperium & dominium tribuens in alias omnes, de quibus modo agimus, sic ait: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non emulatur, non agit perperam; non inflatur, non est ambiciosa, non querit quæ suæ sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.* Quæ verba D. Bernardus sic explicat: Charitas in aduersitatibus non deficit, quia patiens est: in iniurijs non querit vindictam, quia benigna est: aliena prosperitate non torquetur, quia non emulatur, aut inuidet: remorsum conscientia non habet, quia non agit perperam: honoribus non inflatur, quia non est superba: opprobrio non confunditur, quia non est ambiciosa: à concupiscentia non vincitur, quia non querit quæ suæ sunt: passionibus iniuriæ non turbatur, quia non irritatur: nihil suspectum habet, quia non cogitat de quoquam malum: non gaudet de malo alterius, quia non gaudet super iniquitate: erroribus non fallitur, congaudet enim veritati: persecutionibus non frangitur, quia omnia suffert: incredulitate non obduratur, quia omnia credit: desperatione non deiecit, quia omnia sperat: nec mors ipsa potest mutare charitatem, quævis enim omnia omnium aliarum virtutum opera post mortem in gloria cessant, charitas tamen nunquam excidit. O virtus inuincibilis, quæ vicisti ipsi omnium rerum Dominum, & cui subiecta sunt omnia, iugo tuo subiecisti, cum victus amore nimio opprobrium factus est hominum, & abiectio plebis. Præ amoris namque magnitudine, quo nos complectebatur, non voluit iram suam in misericordia diutius retinere: sed obtulit vitam suam amantissimam inimicis, pro amicorum suorum dilectione. Hæc Bernardus. Quæ verba, etsi nihil esset aliud, sufficiebant ad corda nostra amore tantæ virtutis, quæ tot, tamque excellentia secum adfert bona, inflammanda.

Ex iam dictis infertur, quod sicut virtus hæc stimulus est omnium aliarum virtutum, sic etiam gladius est, quo refecantur omnia vitia: quemadmodum enim placere cupit Deo virtutes operando, hæc enim illi gratæ sunt: sic etiam metuit; ne Deo displiceat, ideoque fugit omnia vitia: hæc enim sola illi displicet. Etsi charitas tam magnus sit stimulus & adiumentum ad omnes virtutes, ad vnam tamen potissimum nos excitat, generalem scilicet fortitudinem, quæ laborem & molestiam omnium aliarum virtutum patienter suffert. Hæc fortitudo adeo propria est amori Dei, vt illa nihil sit in mundo fortius. Aggreditur namque hic amor diuinus ardua, labores non recusât, obdurat in periculis, confortat animos debiles, addit calcearia ignauis, audere facit pusillanimes: difficultates enim non ratione metitur, sed desiderio.

Ratio huius est, quia effectus naturaliter sequuntur naturam suarum causarum: quantò autem causæ sunt potentiores & fortiores, tanto etiam vehementiores sunt effectus, qui ab illis procedunt. Cui itaque finis omnium causarum prima sit, & principalis, (ea enim alias omnes ad operandum mouet) hinc est, vt quantò maior est amor finis, tantò fortius agant omnes aliæ causæ, ab illo fine motæ, ad finem illius consecutionem. Quare quantò maior est amor, quo quis pecunias, aut honores, aut studia literarum appetit, tanto maiores impendit labores, vt quod appetit adipiscatur. Ita quod, quemadmodum aqua dicitur tantum ascendere, quantum descendere.

deſcendit, aut quantum ſuper ſe pondus habet: ſic dicere poſſumus, in omnibus negotiis tantum eſſe fortitudinis, quantum eſt amoris. Huius rei argumentum habemus in ipſis animalibus rationis expertibus, quæ quantumvis infirma ſunt, obijciunt tamen non raro ſeſe venabulis & ſpiculis venatorum, ut ſectus ſuos defendant amore ſuppeditante fortitudinem, & illum animum, quem ipſa natura negavit. Vehemens enim amor ſemper contemnit pericula, & in rem amatam toto ſertur deſiderio: propterea ſeſe facile in præſens conijcit diſcrimen, ut ſuos à periculo conſervet, atque proprii diſpendij metum ſpernit: non enim ſibi metuit, ſed alteri.

Amor mor-
tis fortior.
Cant. 8.

Ex his igitur aperte patet, quomodo amor Dei ſit cauſa fortitudinis, & quod tantò quis promptior erit & expeditior ad quavis mala perferenda, quanto amor in eo erit vehementior. Quid aliud ſibi vult illud Canticorum; *Fortis ut mors dilectio*? Quid fortius morte, quid potentius? quæ arma huc uſque contra mortem prævaluerunt? de quo illa non triumphavit? Quemadmodum igitur mors victrix omnium rerum eſt: ſic amor Dei vincit omnia; poſteaquam etiam ipſa mors, omnium rerum victrix, ab hoc amore vincitur: verus enim amator Dei mori poteſt, vinci non poteſt. Quis negabit B. Laurentium triumphatorem mortis, flammarum, & omnis huius mundi tyrannidis? omnia enim arma in illum ſunt expedita, extrema quæque tentarunt, ut amorem & conſtantiam eius expugnarent: ſed victa mors eſt, extinctæ flammæ, corpus laſſatum: ſides verò, charitas, & animi eius fortitudo; etiam in medijs tormentorum ſurijs, non minus immota & infracta manſit, quam adamantis acies: quæ priuſquam frangitur, incudem & malleos lædit, aut penetrat, & brachia tudentium ſaigat. Vnde orta eſt illa vox Datiani, qui poſtquam omnia tormentorum genera in corpore glorioliſſimi martyris Vincentij exercuiſſet, admiratus tantam conſtantiam, & ſtupefactus, clamavit: *Victi ſumus?* Vnde in qua vox illa orta, niſi ab inexpugnabili charitatis fortitudine? victa namque morte, victo tyranno, martyr intuiſtus exultabat. Nulla enim victoria glorioſior, quam cum aduerſarius ipſe victum ſeſe fateatur.

B. Laurentij
fortitudo.

Cæterum ſi partum tibi videatur, charitatem de morte triumphare, reſpice quoque quod ſuperat & vincit omnem vim & potentiam huius mundi. Dicat autem illud magnus ille Chriſti amator, qui & verè mortem ipſam, & omnem mundi poteſtatem vicit. Dicit enim ſic; *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* (ſicut ſcriptum eſt: *Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*) Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Hucusque D. Paulus. in quibus verbis nescio quid primum admirabor, fortitudinem & firmum Apoſtoli propoſitum, an verò fortitudinem & excellentiam iſtius charitatis, quæ tantum in omnes creaturas habet imperium, quas omnes vincit, cuius tanta eſt potentia, ut ex creatura omnium maximè debili, tantò magis damnum metuente; quanto eſt ſui commodi ſtudioſior, homine ſcilicet, faciat toto mundo potentior.

Charitas de
Deo triumphans.

Cæterum quid fortitudinem charitatis cum creaturæ fortitudine conſero, cum etiam de ipſo omnium creaturarum Domino triumphaverit? Quis

Granar. Opus ſpiritual.

enim eum ex ſummo celo in hanc miſeriarum vallem detraxit? Quis illum ad columnam alligavit? Quis manus & pedes eius duris clavis tranſfixit? Quis eum ſervum & miniſtrum hominum fecit? Quis illum fecit truncum cæli cum trunco crucis coniungere, niſi Amor noſtræ redemptionis? Quare ieiunavit, ſudavit, laboravit, vigilavit, mortuus eſt, niſi propter eundem Amorem? O charitas, quanta eſt tua potentia? ſi Deum viceris, hominem quomodo non ſuperabis? O dulcis Tyranne, quantis blanditijs & adulationibus corroboras animos hominum, ut audeant res maximas? Hæceſt illa fortitudo, quam promiſerat Dominus Diſcipulis ſuis in die Pentecoſtes, cum Spiritus ſanctus in illos deſcenderet, qui ut verus & eſſentialis amor eſt, in linguis igneis venit: *Sedete, ait, in civitate quoad uſque induamini virtute ex alto.* Induamini, inquit, ut ſignificet hunc ſanctum amorem, eſſe quali lorica, vel armaturam, quæ totum hominem tegit, à vertice ad calcem uſque, ita ut nulla pars corporis nuda iſtibus hoſtium remaneat.

Luc. 24.

Verum igitur eſt, quod Doctör quidam ſanctus circa hanc materiam de amore diuino aſſerit, dicēs; Fortitudo cordis eſt amor Dei; amor enim verus & legitimus ſemper fortis eſt, neſcit cedere; pericula non timet, labores non recuſat, mittit manum ad faſtu diſſicilia, ſuſtinet patienter contraria; dolores non ſentit, ſemperque progreditur cum deſiderio proficiendi. Si inſurgant caſtra, ſi eum tentent vitia, ſi totus mundus in illum armetur, ſi veram habeat charitatem, nunquam vincetur. Et quod ſuper hæc omnia vel maximè mirandum eſt, charitas non tantum potens eſt, & fortis in alios, ſed etiam in ipſum ſui poſſeſſorem. Exemplo ſit mater, quæ plurimum diligit filium ſuum unicum, quæque ſeipſam multum exagitat, ut filium quocunque modo diuitem faciat. Quid amor in illa eſt, niſi crudelis tyrannus? & quid illa, niſi ſerua illius, quem amat? Quæ durior captiuitas, quam non edere, non bibere, non dormire, non viuere ſibi, ſed ali? Contēnit omnes voluptates, omnia poſtponit negotia, creſcunt ei curæ, ſollicitudines, & dolores, peiusque tractatur, quam ſerui & captiui: laborat & cruciatur die ac nocte, nec ullum ex eo commodum expeſtat ſibi, ſed alij. Hæc eius eſt utilitas, & his rebus delectatur: dulcius eſt enim bonum illius pro quo laborat, quam id quod paritur in laboribus amarū. In ſelle inuenit mel, & in laboribus requiem. Videtur igitur in mundo nil eſſe dulcius, nil fortius, nil crudelius, nil magis pium amore. Dulcis eſt cordi amanti: fortis eſt ad tolerandos labores: crudelis eſt ſibiipſi; pius eſt illi, quem amat. Merito igitur D. Bernardus nos ad amorem huius virtutis, quæ Bernard. tot ſectum adfert bona, inuitat, dicens: *Sectamini Fratres charitatem, quæ expellit timorem, quæ non ſentit laborē, quæ non ſpectat merita, quæ non querit præmium, & tamen plus ad virtutem allicit, quam reliqua omnia.*

Charitas æ-
lis liberalis
mat, ſed etiam maximè liberalem ad dandum ea,
quæ habet, alteri, cum ſibiipſi ſit auara. Teſtes ſunt
iſti.

Ex eodem principio inferitur, Charitatem non tantum eſſe fortem ad patiendum pro eo quem amat, ſed etiam maximè liberalem ad dandum ea, quæ habet, alteri, cum ſibiipſi ſit auara. Teſtes ſunt patres, qui ſeſe ſpoliant omnibus quæ habent, ut filios ditent: & ſeſe exuunt, ut veſtiant illos: imo & ipſa animalia bruta pabulum ſuis faucibus euomunt, ut habeant pulli quod edant. Hinc ſequitur, quod is qui Deum plus amat, quam ſemetipſum, etiam omnia quæ habet, magis habeat Deo, quam ſibi metipſi. Ex illo fonte fluit puritas intentionis, quam tales habent in ſuis operibus, quæ virtus eſt altiffima: etenim cum illi Deum plus quam ſeipſos diligunt, & Deo magis quam ſibi bene volunt, non ſunt mer-

Ddd 3

cenarij,

cenarij, neque faciunt quicquam in proprium commodum: nec Deum ordinant ad se, nec honorem, aut aliud quidquam sibi querunt: sed omnia volunt & querunt illi, quem diligunt plus quam semetipsos. Et quanto liberiores sunt à concupiscentia, tanto pleniores sunt charitate; & tanto plus lucrantur, quanto minus lucrum respiciunt: quanto longius absunt à spiritu mercenarij, tanto maior eorum est merces: non enim datur illis merces ut mercenarijs, sed hereditas, ut filijs, ex thesauris paternis. Ideo dicit Bernardus: Vacua vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est.

Bern. de diligendo Deo.
Sexta charitatis prerogativa.
Simile.

Sexta Charitatis prerogativa (quando valde est accensa) est latitia, & gaudium spirituale. Quemadmodum enim a Sole procedit lux, & ab igne calor: sic gaudium oritur ex presentia rei amatae. Gaudium autem hoc vnus est ex fructibus Spiritus sancti, qui ob hoc Paracletus, hoc est, Consolator dicitur, eo quod officium illius sit, animas, quae propter amorem Dei dura patiuntur, recreare, & consolari.

Consolatio
nis Dei: po-
tiores conso-
lationibus
mundi.

Hae consolationes & deliciae multis parasangis huius mundi voluptates antecedunt. Primo, quia magis propriae sunt, & conuenientes hominis naturae, qui creatura est rationalis: quo titulo tanto digniores etiam sunt omnibus alijs delicijs, quanto parti competunt nobiliori. Sunt enim deliciae nobilissimarum potentiarum, quae sunt in homine, intellectus nimirum & voluntatis: quae quanto omnibus alijs potentijs sunt nobiliores, tanto voluptatum maiorum sunt capaciores. Secundo, quia delectationes naturae, sed gratiae: deriuantur enim ex donis Spiritus sancti, & potissimum ex gratia, quae ceteris gratijs est sublimior, & proinde secum trahit altissimas, & nobilissimas delectationes. Tertiò, quia deliciae istae non sunt creaturarum, quae finitae sunt, & limitatae, sed ipsius Domini & Creatoris omnium creaturarum, qui vniuersale, & infinitum bonum est, & proinde sufficiens ad excitanda maiora gaudia, maioresque delectationes: ita ut hoc gaudium ab omni parte sit ceteris excellentius; siue subiectum spectes, siue potentias, siue causas, siue ipsum obiectum: quod est aeternum illud & summum bonum, quod in se continet summam perfectionem: & sic est nostra vltima perfectio, in qua consistit omnis nostra beatitudo, & sufficientia: maxima enim satietas, quam creatura possit habere, est peruenire ad centrum suum, & vltimum suum finem, qui terminus est omnis desiderij: & sicut nihil amplius potest desiderare cum abest, ita de nullo potest amplius gaudere, cum adest. Cum igitur Deus sit summum bonum, vltimus finis, & velut centrum creaturarum rationalium, acquirere summum bonum erit etiam plena satietas, & animae sufficientia: quod non excipitur brachijs, sed complexibus, hoc est, vnione sanctissimi huius amoris.

4.
S. Thom.

Est & alia huius rei ratio, nimirum quod delectatio vel latitia oritur ex acquisitione boni desiderati. Nam, ut S. Thomas ait, desiderium est motus cordis, cuius terminus est bonum desideratum: cumque motus ille ad terminum suum peruenit, necessario cor quiescit, & exultat in illo. Est autem hoc loco notandum (ut idem Doctor ait) talem fore latitiam, quale est bonum ipsum acquisitum. Quia verò omnia bona huius vitae sunt finita & particularia, etiam gaudium, ex ijs resultans, erit finitum: ex altera verò parte quia Deus est bonum vniuersale, in quo solo inueniuntur omnia bona, ideo & gaudium, quod ex eo percipitur, sine comparatione multò maius est, quam omnia bona mundi huius simul iuncta. Nulli autem hoc mirū videatur, quia si Sol, quae pura est creatura, est maior pars lucis hu-

ius mundi, quam omnes stellae simul, (non enim haec splendent in praesentia illius) quid mirandum est, quod Creator solus sufficiens magis est ad exhilarandum, dulcedineque perfundendum cor, quam omnes creaturae simul? Imò maxima est hominum dementia, quietem extra Deum querere. Certissimum namque, & indubitatum est, creaturam non posse habere quietam & perfectam satietatem, extra suum centrum, aut vltimum suum finem: quamdiu namque extra illum est, semper plorat & suspirat. Similiter & id verum est, vltimum finem, ad quem creatus est homo, Deum esse. Si igitur non potest homo esse beatus, quamdiu non fruitur vltimo fine, qui Deus est, quae maior stoliditas, quam querere perfectum gaudium, animique satietatem extra Deum finem suum vltimum?

Quamuis autem perfectio huius gaudij non nisi in alia vita sit, (ubi perfectius videbimus bonum hoc, eoque fruemur) nihilominus communicat hoc aliquatenus Deus familiaribus & amicis suis, etiam in hac lachrymarum valle, tanquam primitias, & micras quasdam mensae illius caelestis, ad consolationem afflictorum, & solatium eorum, qui pro amore illius patiuntur. Hinc est, quod cum dulcis & amabilis ille Dominus vult animam verè quarentem & amantem se consolari, illuminat prius intellectum luce tam magna, & inflamat voluntatem amore & gaudio Spiritus sancti tanto, ut eorum abundantia redundet etiam in partem animae inferiorem, ita ut dicere possit cum Dauide: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Ostendunt hoc manifestissimè exempla multorum Sanctorum, quibus diuina tam fuere dulcia, & mundana tam amara, ut omnia hac abiecerint & contempserint, illa verò amplexi sint: fugientes in cremum, facti bestiarum locij, habentes herbas pro cibo, & caernas atque speluncas pro domibus: quod sanè toto vitae tempore continuare, & tolerare non potuissent, nisi maiorem consolationem inuenissent in eo, quod Deus dabat, quam in illo quod in mundo reliquerant. Neque hoc mirandum est: si enim multi Philosophi renunciauerint mundo cum omnibus, quae in mundo sunt, ut liberius vacare possent rerum naturalium contemplationi, ob summam, quam in ea voluptatem inueniebant: quid mirum, idem facere magnos illos Dei amatores, propter contemplationem rerum supernaturalium, & diuinarum, donis Spiritus sancti & gratia illius adiutos?

Ex hac prerogativa sequitur alia non minor, hoc nimirum, quod sicut mel non solum dulce est in se, sed & cibos alios, quibus miscetur, dulces etiam facit: sic Charitas non tantum suauis est in se, sed suauē leueque facit onus mandatorum Dei: adeo namque immotos habet oculos in re amata, ut cum intelligit tribulationes esse media, per quae, quod amat, acquiritur, etiam ipsas amet tribulationes. Non enim tribulationes, ut tribulationes, considerat, sed tanquam media, ad rem amatam perueniendi: ideoque plus gaudij, quam doloris, ex illis percipit. Quare dicit optimè S. Augustinus: Qui amat, aut non laborat, aut ipsum amat laborem. Et alio loco: Nullo modo onerosi sunt labores amantium: sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium. Et S. Bernardus dicit: Dulce & suauē illud esse videtur, quod praecipit dilectio, & allicit amor. Nam nulla ibi apparet difficultas, ubi est charitas: nullus ibi labor, ubi verus est amor. Leue praecipitum, siue praecipitum, & dulce praecipitum. Ad portandum leue, ad amplectendum suauē, ad tenendum dulce, & delectabile.

Magnum & arduum erat septem annis per montes & Valles, per aspera & praerupta loca errare, atque

Perfectum
gaudium in
calo datur,
hic autem
primitias
datur.

Sal. 83.

Septima
prerogativa.

August. de
sancta Vi-
dunt.

Bernard.
Serm. 14. in
Cena Do-
mini.

Aug.
Cen.
loca.

Quae
me
tra-
par.

Bernard. 29.

que greges pascere: totum autem hoc leue visum fuit patriarcha Iacob, propter amorem suae Rachelis. Quamto igitur leuior erit anima, amore diuino plena, labor virtutis, quando considerat ex eo sese summum bonum consecuturam, & Sponsum habituram rerum omnium Creatorem? Talis erat spiritus & deuotio Bernardi, cum diceret: Fateor, non sustinui pondus diei, & astus: sed iugum suauis & onus leue: pro beneplacito patris familias porto opus meum, vix vnus hora, & si plus, prae amore non sentio. Dulcissima sane res est, quae potest omnia dulcia facere; & si quid sit, quod id poterit, sanè Amor Dei erit; sicut idem Sanctus ait: O dulcis Iesu, inquit, amor nunquam otiosus est in his qui te amant. Tui meminisse dulcius est melle, de te cogitare cibus est suauissimus, de te loqui satietas est perfecta, de te meditari consolatio absoluta, & tibi adherere vita est durabilis.

Bernard.

Matth. 11.

Bernard. de diligendo Deo, sub hanc.

Etiam dictis intelligitur veritas illius dicti Saluatoris: *Iugum meum suauis est, & onus meum leue*. Onus enim Domini, lex eius est; & perfectio legis amor est: amor autem suauis est, & tam suauis, ut omnia quoque suauia faciat: & quamuis iugum & onus appelleretur, tale tamen onus est, quale sunt auis pennae, quae non tantum non grauant, sed & leuiores illas faciunt ad volandum. Recte ergo Bernardus: Bona lex charitas, & suauis, quae non solum leuiter, suauiterque portatur: sed & mercenariorum, feruorumque leges portabiles ac leues reddit. Et alibi: O iugum sancti amoris, quam dulciter capis, gloriose illaqueas, suauiter premis, delectabiliter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis?

Qua virtus igitur illa magis desiderabilis, quae omnes alias reddit suaves & delectabiles? Ob solam dulcedinem, quam homines inueniunt in vitis, à virtutibus abhorrent: existimantes vitia cum omnibus suis malis, esse dulcia: virtutes autem cum omnibus bonis suis, amaras, inescati igitur cibo delectationis, amplectuntur vitia, & fugiunt virtutes. Quamto igitur in pretio habenda est virtus haec, quae mel miscet reliquis omnibus, difficultatemque & asperitatem omnem, quam habent, tollit? Quid hoc aliud est, quam hominem quodam modo reducere ad imaginem felicissimi illius status innocentiae, in quo terra producebat fructum sine labore, & mulier pariebat sine dolore: hoc est, in quo homo sine sudore vultus sui colligit fructus virtutis, & sine dolore partus proferet fructus bonorum operum?

Olaus ch. natus pra. rignus.

Habet & Charitas aliam prerogatiuam nobilissimam, quia hominem cum Deo vnit, & in Deum transformat. Quid enim est amor (ut inquit S. Augustinus) nisi quadam vita, duo aliqua copulans: amantem scilicet, & quod amatur? Quapropter Philosophi hanc inter voluntatem & intellectum constituunt differentiam, quod intellectus cum operatur, facit rem sibi similem, ita tamen, ut ex materiali faciat spirituale, & intellectualem, secundum certam proportionem, per quam potest intelligi: at voluntas e contrariò, cum aliquid amat, fit illi similis; ipsa tota enim in illud transformatur. ex quo patet, intellectum esse quasi sigillum, quod in qualibet re, quam premit, suam relinquit imaginem: voluntatem verò tanquam ceram, quae confestim apprehendit figuram eius, quo cum premitur. Hoc est, quod Augustinus dicit: Talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis? terra es; Deum diligis? quid dicam? Deus es. Ego, inquit, dixi, *Dei* estis.

August. in Canon. Ioan. 10.

Quando homo in Deum transformatur.

Ceterum ad intelligendum hoc, necesse est vt praesupponamus, hanc transformationem non esse naturalem, sed spiritualement; non enim mutatur na-

tura vnus rei in aliam: sed mutantur corda, affectus, simile desideria, & tota vita. Exempli gratia: Mater aliqua diligit filium suum plus quam semetipsam. Dic mihi, quid poterit filius facere pro semetipso, quod mater non facit pro illo? Filius ratione amoris quo diligit seipsum, semper studet suae vtilitati, & in eo vitam suam consumit. Quid minus facit mater, quae illum tam tenerè amat? Omnis eius cura, & omnis eius cogitatio est in illo, & pro illo: id agit quod illi scire fore vtile, damnum illius damnum suum aestimat: cogitationes illius cogitationes suas facit; affligunt eam dolores illius, flet quando flet ille; laetatur cum laetatur ille: iniurias filij sibi putat irrogari: infirmatur filius, & mater infirmatur: adeo vt quemadmodum umbra corporis imitatur omne id quod facit corpus, & sequitur eius motus atque figuras: sic etiam si videre possemus duo illa corda, cerneremus quale vnum est, sic & alterum esse, accidentiaque & motus, quae in vno mutantur, in alio quoque mutari. Id adeo naturale est, & ordinariū, vt videatur homo suipsius propriaque naturae oblitus. Videmus enim matrem suipsius obliuisci, vt recorderetur sui filij: & spoliare se, vt filium suum faciat diuitem. Vnde liquet, eam magis esse in filio, quam in semetipsa: cum suipsius obliuiscatur, & se deserat propter illum: ideoque optime dictum est à Platone: Qui verè amat, mortuus est in proprio corpore, & viuunt in alieno.

Anima igitur, quae sic Deum amat, transformatur in illum, ita vt quidquid ille vult, & ipsa velit; & quidquid Deo displicet, & anima displiceat: quidquid ille vel amat, vel odit, idem & illa amet, atque oderit; nec rationem habet sui, aut vtilitatis propriae; non quarit honorem suum, non vt sibi satisfiat, sed honorem Dei, & vt Deo satisfiat studet. Atque ita in omnibus, & per omnia vnum habet velle, & nolle cum Deo, vnusque cum eo est voluntatis: & mutata voluntate, confestim mutatur & vita, & omnia opera, quae ab illa procedunt. Quemadmodum enim cum ramus ab arbore refectur, & alius inferitur surculus, fructus qui in illo surculo nascuntur, non iam amplius sunt naturae illius refecti rami, sed inserti surculi: sic abscessa voluntate hominis, & inserta illa Dei, fructus verborum, operum, & cogitationum, quae ab illa procedunt, non sapiunt iam amplius voluntatem hominis antiquam, sed Deinouam. Adeo vt quemadmodum ferrum in ignem iniectum, proprietatem & conditionem ignis induit, & tamen ferrum esse non desinit: sic homo qui eum in modum ardet in amore Dei, particeps fit puritatis & sanctitatis Dei, licet homo esse non desinat. Hoc est quod S. Dionysius refert de S. Paulo: Amor, inquit, vim habet vniendi res inter se, nec finit, vt qui amat sit dominus suipsius; sed transit in rem amatam. Idcirco magnus ille amator dicebat: *Vmo iam non ego, viuunt autem in me Christus*. Galat. 2.

Eadem transformatio probatur & alia ratione. Naturale namque est homini omnibus nervis, viribusque suis contendere, vt transformetur in rem amatam. Qui enim plurimū amat virtutem, id agit, vt fiat virtute praeditus, & totus studiosus: qui amat literas, vt literatus; qui arma, vt miles: qui aleas, vt bonus aleator: sic magnus amator Dei operam dat, vt obseruet & faciat quod idem Deus praecipit, cum dicit: *Estote sancti, quia ego sanctus sum*.

Manifestius id etiam fiet, si consideremus imperium, quod habet amor in voluntatem, & voluntas in omnes alias hominis potentias: quod enim est Rex in suo regno, id voluntas est in homine. Proinde cum voluntas inclinatur in aliquam rem, mox secū trahit omne id, quod habet in suo regno. Quem-

Leuit. 20.

Imperium

voluntaria

in hominibus

Ddd 4

admo.

Simile.

admodum igitur cælum primum suo motu rapit secum omnes alias sphaeras inferiores: sic voluntas secum rapit omnes alias potentias animæ, memoriam, intellectum, desiderium, membra corporis, & omnia reliqua, quæ in homine sunt. Cum igitur voluntas dominetur homini, & amor dominetur voluntati, (quo enim amor inclinat, illuc & voluntas inclinat) sequitur, quod cui adhæret amor, ei & voluntas adhæreat: ipsumque apprehendit totus homo, cum omnibus quæ in regno illius sunt: & fit talis, quale est id, quod amat. Hinc est, ut si quis amet vitia, fiat vitiosus; si mundum, fiat mundanus; si carnem, carnalis; si spiritum, spiritualis. Quidquid enim amplectitur amor, id etiam amplectitur homo cum omnibus suis potentijs: atque hoc sufficit, ut fiat homo talis, qualis est res, quam amat. Ideo dicit Propheta, ubi loquitur de ijs, qui peccarant Deo; *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

Osce 9.

Si igitur amor vim habeat efficiendæ huius transformationis, quam sublimis res erit amor Dei, cum anima per illum transformetur in Deum? An poterit illa maiorem habere excellentiā, maiorem gloriam aut maiorem hac dignitatem? Quod potest homo se vertere, ubi plus lucri inueniat? quod potest ascendere, quo magis desideret? quid facere poterit, quod magis nobiliteretur, quam amando Deum, & participando maximam illam nobilitatem Dei, eiusque puritatem? Potest hoc ipsum homo quotidie in seipso experiri, quando adhæret Deo: si enim in hoc exercitio vel ab una saltē huius amoris scintilla tangatur, mox sentit in se noua proposita, nouaque desideria vitæ in melius commutandæ. Vides igitur quantopere amor Dei nobilitabit animā, in qua perpetuò quiescit, cum etiam sic nobiliter eam tantum transeundo.

Habet & alias innumeras prerogatiuas virtus hæc charitatis, quas si commemorare omnes vellē, opus hoc in infinitum procederet: ideoque finem huic materiæ imponam, dicendo quod sicut hæc virtus maior est omnibus alijs virtutibus, & finis omnium; sic & illa est, in qua essentialiter consistit perfectio vitæ Christianæ, & à qua mensura sumitur tam perfectionis, quam iusti in hac vita sunt assecuti; quam gloriæ, quam accipient in altera. Hoc est quod D.

Bernard.

Bernardus ait, cum de quantitate animæ disserit: Quæ magnam, inquit, habet charitatem, magna est; quæ parvam, parua; quæ nullam, nulla est. Ideo & Apostolus dicit: *Si charitatem non habueris, nihil sum.*

1. Cor. 13.

Ita ut si vetula quædam in fine mortis inueniretur maiorem habens charitatem, quam alius quidam, qui etiam multa miracula fecisset, multasque animas conuertisset, sine dubio maiorem haberet in cælo gloriam essentialē, eò quod maiorem habuisset in terris charitatem: nam, ut D. Thomas ait, plura sustinuisse, & plures animas conuertisse, non pertinet ad gloriam essentialē, sed accidentalē. Qui autem maiorem habuit charitatem, maius habebit præmium essentialē, iuxta illud Augustini: Non multitudo tribulationum, non longa seruitus, sed maior charitas maius facit meritum & præmium.

S. Thomas.

August.

Neque illud mirandum est: etsi enim omne id, quod homo facit ex parte sua exiguum sit, si comparatur cum illo quod à Deo recipit; tamen cum illo & multa facit, & multa dat, qui multum amat: amando enim & seipsum dat, & quam fieri potest maximum præstat obsequium. Quemadmodum enim voluntas (iuxta id quod diximus) est regina & domina omnium quæ in homine sunt, sic & amor dominus est voluntatis, qui plene offert etiam voluntatē cum omnibus quæ habet, quamdiu aliquid offerendum est: atque hæc oblatio debetur soli Deo, in ea

namque homo omnes vires omnemque suam intendit potentiam: ideoque Deus respondet huic seruitio quemadmodum est, dando illi omnia, qui se totum dat ipsi.

Hæc doctrina magnæ consolationis est apud pauperes, qui quod dent non habent; & apud illos, qui nec literis, nec ingenio, nec laboribus corporis (aut quia senes sunt, aut quia debiles) possunt magna Deo exhibere obsequia: sine enim his multum amare possunt Deum; multum potest, qui multum amat; multumque dat, qui dat semetipsum: & multum facit, qui multum facere desiderat: coram Deo namque, qui cor intuetur, non minus valet bona voluntas, quam bonum opus. Si non poteris facere multum, desidera multum, & ama multum: in amore namque facies omnia. Si pauper sis, nec elemosinas dare poteris, esto diues in amore, desidera illas dare, & crede quia dedisti. Non habes qui te torqueat, & cruciet propter Deum; desidera ex toto corde sic propter Deum tractari, & eris quasi martyr in oculis Dei. Aliud namque est (inquit Cyprianus) animam martyrio deesse, & aliud animam defuisse martyrium: illud namque humanæ infirmitatis est, hoc verò diuinæ dispensationis.

Eccē igitur, Christiane lector, ad quanta, & quā præstantia utilis est Charitas: est enim omnium virtutum maxima, omnium finis, omnium vita, omnium perfectio, & omnium summa. Dicunt Theologi: quod amor inordinatus sui ipsius, fons est, & principium omnium peccatorum. Cum igitur amor Dei ex diametro pugnet cum illo, sequitur quod amor Dei est gladius, quo peccata omnia amputantur, & principium vniuersæ virtutum omnium. Quis igitur cum omni diligentia sibi comparare non velit medicinam ad omnia infirmitatum genera tam efficacem? quis querere non velit virtutem, quæ conducit ad omnes virtutes alias consequendas? O admiranda virtus, radix omnium virtutum, filia gratiæ primogenita, magistra sanctitatis, speculum religionis, pondus meriti, vestis nuptialis, hæreditas oculorum Dei, clauis paradisi, conseruatio animæ, dulcedo cordis, fortitudo pugnantium, corona vincientium, soror veritatis, mater sapientiæ, socia Sanctorum, gaudium Angelorum, formido Dæmonum, victoria vitiorum, plenitudo omnis perfectionis. Sine te languet humanæ vires, obscuratur intellectus, mortua est fides, vanè præsumit confidentia, omnis boni amittitur meritum, & vinculum oculorum fraterni rumpitur: tecum autem homo fortis stat in tentationibus, humilis in prosperitatibus, & securus in aduersitatibus.

Si igitur virtus hæc tot & tanta secum adferat comoda, an non est æquū ut sapiens mercator Evangelicus inuenta hac margarita vendat omnia quæ habet, & emat illam? Quæ exercitia, quæ mortificationes, quæ tribulationes poterunt inueniri, quæ impendantur huius margaritæ consecutioni, non videbuntur optimè collocata? Multum est, quod requiritur: sed quid illud totum est, quod homo præstare potest, cum Deo comparatum, qui per amorem possidet? *Deus charitas est*, (inquit Ioannes) & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Deus, inquit Bernardus, est charitas: quid pretiosius? & qui manet in charitate, in Deo manet: quid est securius? & Deus in eo: quid delectabilius? An parum tibi videatur, quod dicitur, *Deus est charitas*: parum est, Deum in nobis manere? Soli charitati hoc conuenit priuilegium, ut Deus charitas dicatur. Nō enim dicitur, Deus est humilitas, Deus est castitas, Deus est obedientia. Cum enim virtutes omnes aliæ dona Dei sint, sola hæc inter omnes virtutes hoc gaudeat pri-

Cyprianus in Epist. ad Hilanum.

Ioan. 4.

Leuit.

Hato Thea

det privilegio, ut & donum Dei sit, & Deus appelletur.

Quid erit igitur omne hoc, quod datur pro charitate, nisi exigua quadam particula totius? id est, parua particula rerum creaturarum, qui est totus homo, pro Creatore totius universi? Quis non dicet ex toto corde illud, quod magnus quidam amator iustius virtutis olim scripsit: O charitas, si scirem, quanta est tua dignitas, darem omnia, quae a me petere posses. Sed sine dubio dignitas tua excedit omne id, quod ego possideo, & in me pretium non inuenio te dignum. Nihilominus dabo omne quod habeo. Et cum omnia dederim, nihil me dedisse arbitrabor. Dabo libens omnes carnis meae voluptates, omnesque cordis mei oblectationes, ut te mihi comparem: tu enim sola mihi eris amabilius, tu utilior, tu delectabilius, tu suavior istis omnibus. Tu enim es quae magis exilaras, tu quae magis satias, tu quae securius defendis, & tu quae dulcius recreas. Tu denique es, quae animas nostras impingas, & ad Deum eleuas.

Præter omnia autem hæc dicta notandum est, quod tractaturi in hoc libro de perfectione Charitatis, (in qua perfectio vite Christianæ consistit) necessario multa exigere debemus ab amatore illius, quæ sunt valde sublimia, spiritualia, & difficilia quidem natura, sed facilia gratia diuina. Etenim cum illa perfectio consistat in vnione hominis cum Deo, (quæ fit per imitationem & similitudinem ipsius Dei) fieri non potest, quin multa sint necessaria spiritualia, priusquam sic ad herere Deo possimus, ut vnus cum illo spiritus efficiamur. Nemo tamen ob hoc tergiversetur, aut fugiat: neminem enim ad hæc perfectionem cogimus, sed monemus eos, qui sponte ad illam aspirant: (licet omnes ad eam aspirare deberent) cum enim nullum nobis modum constituamus in desiderijs bonorum temporalium, multo minus modum in celestibus & spiritualibus appetendis constituere nobis debeamus.

DE PRÆCIPUIS MEDIIS, QUIBUS
diuinus amor acquiritur.

CAPVT II.

Cum iam plurima, eaque præclarissima, de Charitate dixerimus, animosque hominum amore tam pretiosa margaritæ accenderimus, scire tandem cupit homo viam, modumque illam sibi comparandi. Ad hoc igitur conducet, quidquid deinceps toto libro hoc tradetur. Ante omnia ergo necessarium est, ut intelligatur natura & conditio finis, quem nobis proposuimus: qui non est alius, quam amor Dei. Explicemus igitur primò, quæ sit conditio huius amoris: ea profecto non est alia, quàm hominem vnire & transformare in Deum, cum inter ipsum & Deum idem velle & nolle sit, imitando quantum fieri potest eius sanctitatem & puritatem. Hoc præcipit ipse Dominus in multis Scripturarum locis, ut cum dicit: *Estote sancti, quia ego sanctus sum*. Nec tantum sacra litera volunt nos ad hunc finem vitam nostram dirigere, & secundum hanc primam regulam, quæ infallibilis est, instituire: sed etiam humana huc peruenit Philosophia. Plato enim in Dialogo, cui titulus est Theæteus, idem dicit in persona Socratis, his verbis: Quamobrem danda est opera, ut hinc illuc quam celerrimè fugiamus. Fuga autem est, ut Deo quam proximè fieri poterit assimilemur, atque conformemur. Deo autem assimilari iustitia, & sanctitas, cum sapientia coniuncta. Deus nusquam nequaquam iniustus est: sed quantum fieri potest iustissimus. Deo autem nihil similis est, quam cum ex nobis hominibus aliquis quam iustissimus est. In hoc nimirum & vera hominis præstan-

tia versatur, quantum verò inde abscedit nullitas, & huiusmodi inertia, atque imbecillitas, ut hominis nomen amittat, certè existit. huius enim cognitio, & sapientia, & vera virtus est. Hæcenus Plato. Ex quibus satis liquet, etiam humanam rationem inuenisse, atque ratiocinando tandem eò venisse, ut nobiscum sentiat, perfectionem hominis in imitatione & similitudine summæ illius sanctitatis & puritatis, à qua ipsa rationalis creatura procedit, consistere.

Ex hoc igitur principio facile intelliguntur media, quæ ad hunc finem consequendum requiruntur. Si n. finis sit imitatio & similitudo Dei, & nulla res possit eo procedere, ut aliquid suum sit, quod omnino non est: certum est, præcipuum medium, quod ad hanc imitationem requiritur, esse abnegare nos ipsos, proprietates, & imperfectiones veteris hominis, ut induatur nouus, qui creatus est ad imaginem & similitudinem Dei. Quemadmodum enim (ut dici solet) non potest esse generatio, nisi præcedat corruptio: (non enim fructus nascitur, nisi prius granum corruptatur) sic non potest homo fieri diuinus, nisi prius deserit esse humanus: hoc est, nisi prius (quoad fieri potest) exuat omnem debilitatem & imperfectionem humanam. Sic videmus quod homo sapiens esse non potest, nisi prius desinat esse ignorans: nec sanus, nisi ab sit prius infirmus: nec iustus, nisi pellatur antea iniustus: nec diuinus, nisi hoc sensu desinat esse humanus. In omni motu duo tantum sunt termini: vnus à quo, & alter ad quem: nec aliquid ad vnum accedere potest, nisi prius recedat ab altero. Si itaque homo in hoc spirituali motu tendat à se in Deum, non poterit ad Deum peruenire, nisi prius abneget & relinquit semetipsum. Ignis ex ligno ignem facere non potest, nisi prius exudet humiditatem, frigiditatem, & omne id quod ignis formæ contrarium est: nec homo in peccatis conceptus, carneque & sanguine circumdatus, eò peruenire potest, ut transformetur, & imitetur sanctitatem, puritatemque diuinam, nisi antea superet, atque vincat impedimenta, & quidquid huic sanctitati atque puritati aduersatur. Id autem potissimè facit omnipotens gratia Domini, qui ob hanc causam in Scripturis appellatur ignis

Simile.

Simile.

Deut. 4.
Deus ignis
consumens
cetera.Hominem
Deo debere
cooperari.

Simile.

Sed quia idem Dominus, etsi creauit hominem sine homine, non tamen sanctificat hominem sine homine: hoc est, non sanctificat hominem, nisi is ex parte sua conferat, quod potest, aratrum vna cum Deo trahendo, & manus suas cum Dei manu coniungendo: hinc est, ut cum Deus in eo est, ut consummat omne malum quod in homine est, etiam homo debeat totis viribus suis contendere, ut opus Dei promoueat, idemque faciat: hoc est, mortificet atque consumat omne id, quod impedit in se Dei similitudinem, ut ad optatam vnionem & similitudinem eius tandem veniat. Videmus eos, qui in monte siluestri hortos sibi faciunt, ante omnia siluestres & steriles arbores excindere, atque eradicare; deinde plantare fructiferas, & domesticas. Idem & ille facere debet, qui ex anima sua vult facere Deo viridarium, & paradysum deliciarum: debet enim prius spinas & tribulos vitiorum, malarumque inclinationum, quibus huic vnioni male conuenit, euellere, quo facto, poterit mox inferere nouas virtutis, quas cumq; vult, plantas, maxime autè huius, de qua nunc nobis sermo est, (quæ est quasi arbor vite,

in me-

Leuit. 20.

Plato in
Theæteco.

in medio paradisi) à quo omnes aliae procedunt, sicut supra declaratum est.

Gen. 21.
Gen. 28.

Negotium hoc olim in natiuitate Isaac adumbratum reperitur, qui (vt Scriptura dicit) tunc natus est, cum Sara muliebria defecerant. Hoc licet scriptum est, vt ostenderetur, foeminam hanc filium suum concepsisse & peperisse miraculosè, & prater naturam: mysticè tamen etiam in eo nobis significatur, tunc animam religiosam concipere & parere verum Isaac, id est, gaudium spirituale, filium legitimum charitatis, cum incipiunt in ea deficere illae infirmitates imperfectiones, & superfluitates corruptae naturae. Cum enim ex homine carnali fiet spiritualis, aut (vt melius dicam) ex homine Deus per amorem, (proprium enim amoris est amantem in rem amatam transformare) oportet omnino prius deltrui carnem, & hominem sensualem: deinde generatur spiritualis. Proinde quemadmodum ille, qui per artem Chymicam ex gre vult aurum facere, necessariò debet prius aes soluere, atque corrumpere, vt postea (si hoc fieri posset) in aurum mutetur: sic & nos cum moliamur in hac spirituali Chymia ex terra caelum, ex carne spiritum, & ex homine Deum facere, ante omnia debemus vnum extremum deltrui, vt alterum succedat.

Simile.

Cassianus
Collatione
prima.

Ex his colligitur verum esse, quod communiter sancti Doctores solent dicere, atq; inter alios Cassianus, in prima suarum Collationum: puritatem scilicet cordis primum esse medium, quo ad amorem Dei peruenitur: ad hanc autem pertinet ejicere ex anima nostra omne id, quod impedit hunc sanctum amorem; vt est omne animale, terrenum, & quidquid denique Deo vel contrarium est, vel dissimile. In horum numerum ingreditur primò purificatio & mortificatio amoris proprii: secundo voluntatis propriae, quae proprii amoris soror est: tertio peccatorum: quarto perturbationum & affectuum animae; quinto inordinatarum cogitationum: sexto nimiarum occupationum, superfluatorumque negotiorum: septimo mortificatio omnium aliarum superfluitatum, malarumque hominis inclinationum; octauo denique intentionis impuritatum, sub quibus continetur omne genus commodi, tam spiritualis, quam temporalis purificatio: de quibus omnibus ordine suis capitulis deinceps agemus.

Simile.

Mortificatis igitur omnibus his superfluitatibus, carnisque nostrae cupiditatibus, efflorescit subito, & regnat spiritus: iamque dispositus est siue ipse accedere velit ad Deum per amorem, siue Deus ad ipsum per gratiam. Quemadmodum enim lapis in sublimi positus, sublati impedimentis, quae istè illum extra naturalem locum detinent, mox deorsum labitur, & ad locum naturalem reuertitur: sic anima nostra, quae est substantia spiritualis, vinculis appetituum ruptis, quae detinent illam rerum terrenarum amore captiuam, confestim, diuina gratia succurrente, (tanquam spiritualis substantia, atque soror Angelorum) fertur in res spirituales, suae dignitati & naturae conditioni conformes, easque vltro amplectitur.

1. Cor. 6.

Esti hoc sufficeret, vt anima ad amorem sui Creatoris eleuaretur, tamen quaedam exercitia, & quaedam considerationes adiungemus: quae eam magis diuino hoc amore inflamment, & ad eandem mortificationem adiuuent. Cum enim verum sit illud Apostoli: *Qui adheret Deo, vnus spiritus cum eo fit: cumque illi adhæreamus, ad eumque accedamus non motu corporis, sed spiritus, hoc est, cum deuotis considerationibus, & affectibus amore plenis: omnino rationi consentaneum erit, nos etiam de illis differere. Hoc enim modo spiritualiter adheredi Deo par-*

ticipat anima quodam modo de radijs illius sanctitatis & splendoris; quibus illuminata tam formosa apparet, atque lucida, quam nubes aliqua claritate ac lumine Solis illustrata, quae ipse Sol esse videtur. Quare librum hunc in duas partes principales diuidemus: in priori parte dicemus de ijs, quae impediunt hanc spirituales cum Deo vnionem, quae per charitatem coalescit: in secunda verò agemus de virtutibus, quae potissimum hanc vnionem promouent, & perficiunt: atque his deuotas meditationes & orationes subiiciemus, quae ad animos nostros illo amore diuino inflammandas erunt vtilissimae.

Obseruandum etiam est hoc loco, principalem huius negotij difficultatem non consistere in exercitio amandi Deum, (amare namque Deum opus est incredibilem suauitatis) sed in eliminandis atque ejiciendis ex animabus nostris huius amoris diuini impedimentis: de quibus in priori hac parte agitur. Ad eundem modum videmus omnem difficultatem accendendi lignum, vt fiat ignis, in tollendis ijs, quae repugnant ignis naturae, vt sunt humiditas, frigiditas, & densi vapores, positam esse: ijs enim sublati, lignum mox flammam concipit, & luculenter ardet. Idem igitur accidit, cum cor frigidum, & rebus mundi immersum, igne amoris diuini volumus accendere: hic enim difficultas non in amando consistit, sed in tollendis ijs, quae amorem hunc impediunt.

Præclarum ex his sequitur documentum, vtile ad cognoscendum & vitandum plurimos errores, qui in hoc negotio possunt committi: nimirum, hominem in hac via non debere profectum suum mensurare suauitate, consolationum multitudine, animi ténueritudine, aut lachrymis, quae subinde fluunt copiosius; (licet id sanctum sit & laudabile) sed mortificatione & victoria omnium illarum nouercarum, de quibus hac prima parte dicemus: vt sunt inordinatus amor proprii, & propria voluntas, cum omnibus appetitibus, qui hinc procedunt. Sunt enim homines nonnulli corde teneriores, qui ad quamcunque cogitationem seu passionis Domini, seu alterius similis rei, in lachrymas resoluuntur, & magnam sentiunt dulcedinem. Sed cum hoc in talibus hominibus potius ex naturali ténueritudine cordis, quam ex amore puro suam habeat originem, non possunt ex eo iudicare, quantum profecerunt: sed adiungant illi victoriam propriae voluntatis, appetituumque suorum, & malarum inclinationum.

Animaduertendum etiam est, cum in exercitijs orationum & considerationum secundae partis maxima lateat dulcedo, & in illis prima partis magna difficultas, multos amplius sectari id quod dulce est, quam quod amarum: caueat autem hinc discipulus noster, ne tales imitetur: sunt enim huiusmodi multis periculis expositi. sed aequaliter vtrique operam det, vno oculo respiciens mortificationem, altero verò orationes & meditationes: vnus namque exercitij suauitate, alterius amaritudo dulcescet, & labor requie condietur.

DE PRIMO REMEDIO AD AMOREM Dei necessario; Amoris scilicet proprii victoria.

CAPVT III.

Antequam priorem partem hanc aggrediamur, necesse est, praesupponere, quod in felici illo statu, in quo Deus hominem creauit, nihil facilius, nihil magis naturale, nihil suauius illi fuerit, quam amare suum Conditorum: quid enim magis secundum naturam, quam creaturam suam amare Creatorem, effectum causam suam, quae à principio est

pio est ortum suum principium, & partem suam totum a quo processit? Hanc enim ob causam videmus & brachium sese opponere, & ictum gladij excipere, ut caput tueatur: ex quo patet, partem totum suum plus quam semetipsam diligere.

Fuit hoc quidem sic natura adhuc integra, nunc vero peccatum sic illam inflexit, & deprauavit, ut homo iam non amplius ambulet, sicut solet: nec possit quod tunc potuit, propter impedimenta plurima, quæ ex illa clade pullularunt. Ille enim, qui ante peccatum Deum magis, quam semetipsum diligebat, post peccatum semetipsum plus, quam Deum diligit: & ab eo tempore usque huc peccatum originale habuit locum, quod non est aliud, quam incuratio quadam, & spirituale adulterium, quo cum nascitur homo erga seipsum optime affectus, erga Deum vero nullam habens affectionem.

Amor igitur ille inordinatus cum omnibus alijs affectibus, qui ex illo nascuntur, primum est in amore Dei impedimentum: trahens enim nos ad se abstrahit nos a Deo; & inuitans nos ad res terrenas facit, ut celestibus dorsum obuertamus. Itaque si amor ille tollatur e medio, non erit in amore Dei aliquod impedimentum.

Secundum hanc igitur doctrinam, qui verè, & ex toto corde amare Deum desiderat, oportet ut apertum bellum amoris proprio denunciet. Per amorem autem proprium ubique in hoc tractatu intelligimus inordinatum amorem proprii corporis, & omnium eorum, quæ ad corpus pertinent. Dico autem inordinatum, cum enim ordinatus est, & temperatus, malus non est, sed bonus, & ad conseruationem vitæ necessarius. Non enim rarum est, aut impossibile rem aliquam naturæ suæ bonam esse, & necessariam, quæ tamen cum immoderata est, & inordinata, fit mala & noxia. Sic videmus sanguinem necessarium esse ad vitæ conseruationem, qui tamen si nimius sit, & morbos generat, & vitam nonnunquam extinguit. Idem fit & in calore naturali, in quo consistit animalis vitæ: tamè modum excedat, febres, aliaq; infirmitates producit. Similiter & flumina, cum intra alueos suos manent, nulli sunt noxia, nec quidquam afferunt detrimenti: cum verò exerceant, & extra ripas feruntur, inundant omnia loca, quæ perfluunt. Ad eundem modum amor proprius, cum omnibus reliquis affectibus, ex eo pullulantibus, cū iuxta regulam rationis legi quæ diuinæ temperatur, laudabilis est, & virtuti affinis: sed cum ab hac regula declinat, vitiosus est & noxius.

Officium & natura huius amoris proprii est, inordinato desiderio querere quicquid bonum & iucundum est corpori. Sunt autem huiusmodi bona innumerabilia: quare S. Ioannes ea redigit ad tres species, diuitias, honores, & corporis voluptates. Quemadmodum enim nos quatuor tantum ventos constituimus, qui a quatuor partibus mundi flant, sub quibus tamen alij quam plurimi comprehenduntur: sic ille tres tantum bonorum corporalium species numerat, sub quibus alia infinita continentur, quæ ad illas referuntur. Sub honoribus enim numerantur officia, dignitates, imperia, dominia, magistratus, immunitates, priuilegia, libertates, prerogatiuæ, fasti, triumphus, pompa, clientela, seruorum agmina, & similia, quæ ad honorem mundanum pertinent.

Sub diuitijs comprehenduntur omnia commodorum, & temporalium vtilitatum genera, ut sunt patrimonium, hereditates, redditus annui, census, lucra, aliaque infinita eius generis bona.

Voluptas complectitur aliam diuersarum rerum multitudinem, quibus sensus exteriores corporis, & interiores animæ oblectantur. Oculi enim naturali-

ter varietate & pulchritudine colorum, ædificiorum, aulæorum, viridarium, chorearum, & omni genere pulchritudinis pascuntur. Auditui placent cantus & harmonia, tam naturales, quam artificiales, quibus Principum aulæ, & Regum palatia perstreperunt: quorum hæ sunt deliciae. Olfactus gaudet omni genere vnguentorum, aquarum odoriferarum, suffumigationum, aromatum, quæ vel ad sensum hunc vltro nascuntur, aut ingenio atque arte humana componuntur. Quantum ad gustum, numerari non possunt ciborum & potuum naturalium differentia; multò verò minus eorum, quos humana quotidie comminiscitur industria. Tactus verò querit lectum mollem, vestem pretiosam, pellibus suffultam, peregrinam, vericolorem, & nouo ritu confectam: quales hæc ætas quotidie nouas excogitat.

Hæc obiecta sequuntur alia magis spiritualia, quæ alios sensus magis delicatos afficiunt. Ingenij namque humani curiositati volupe est scire, videre, habere omnia quæque politissima, atque exquisitissima; ut est pretiosa & culta suppellex, libri, studia magis curiosa, quam fructuosa; occupationes variæ, conuersationes, salutationes, visitationes, premata, versus, rhythmus, & id genus alia, quorum varietate sensus illi oblectantur.

Cum itaque amare nil aliud sit, quam bene velle, certum est qui inordinatè seipsum amat, hunc etiā inordinatè sibi aut omnia hæc bona, aut maiorem eorum partem appetere. Hanc ob causam amor ille non ineptè dicitur fecundissimus: semper enim aliquid noui parturit, & habet omnia bonorum genera, quæ in mundo sunt, sibi obiecta: & sic amor ille non dissimilis est ventri viperæ prægnantis, qui multas alias vipersas parit, non minus quam ipsa mater venenosas. Qui ergo purum & perfectum amorem Dei querit, debet abijcere & mortificare omnes appetitus & amores hos, quicunque, & quotiescunque modum excedunt: ad eò ut singulis & omnibus det libellum repudiij, & eiciat ex ædibus suis, quicunque de amore proprio vult triumphare: Quem admodum enim arbor non potest euelli, nisi prius radices amputentur, quibus hæret terræ: sic arbor hæc mortis, hoc est, inordinati amoris, euelli non potest, nisi præscindantur radices bonorum temporalium, quibus nutritur & sustentatur. Quare quem admodum (ut historia nostri temporis commemorant) in recuperatione vrbs Granatensis, prius omnes arces, quæ in circuitu erant, eamque defendebant, expugnatae sunt: sic etiam ad debellandum amorem tam potentem, necesse est ut paulatim emnes amores reliqui minores, qui ex illo procedunt, eumque tuentur & conseruant, expugnetur & vincantur: expellendo omnem amorem rerum transitoriarum, & visibilium, atque cor ad inuisibilia atque æterna transferendo: ut sic in anima nostra regnet amor diuinus, absque vlla contradictione. Alioquin ut impossibile est (inquit Ioannes Climacus) vno eodemque oculo intueri cælum, & terram, sic etiam fieri non potest, ut vna eademque voluntate semetipsum inordinatè quis amet, atque Deum.

QVO MODO AMOR DEI ET AMOR inordinatus suipsius inter sese non conueniunt.

CAPVT IV.

Quia verò quo certior erit homo doctrinæ præcedentis, & minus dubitabit, eo maiori cum alacritate & fortitudine arma corripit, ut pugnet aduersus hunc Gigantem: nos rationes hæc in medium adferemus, ex quibus videatur dissolutio, & contrarietas horum duorum amorum.

Prima

Peccatum originale quid, & unde

Per amorem proprium quid intelligatur. Amor proprius modus amoris hominis.

Officium amoris proprii

Tria bonorum corporalium genera.

Amor proprius fecundissimus.

Simile.

Climac.

Prima contrarietas horum duorum amorum.

Nemo peccat nisi spe boni alius.
Matth. 26.
2. Reg. 11.
Gen. 3.

II.
Amor proprius contrariatur omnibus alijs virtutibus.

Virtus autem.

III.
Mediocritas repugnat.

IV.
Oratio non impedit.

Prima contrarietas est, quod (teste D. Augustino) amor proprius est causa omnium peccatorum, quæ in hoc mundo sunt, nec non & idem ædificat civitatem Babylonis, eamque novis quotidie civibus adductis (qui sunt filij confusionis) reddit populosam: sicut econtrario amor Dei ædificat civitatem Hierusalem. Nemo enim peccat, nisi spe consequendi boni, quod amat inordinatè: quemadmodum Iudas peccavit amore triginta denariorum, quos numerarunt illi Iudæi, ut Christum traderet; David concupiscentia pulchritudinis & formæ Bersabæ; prima nostra mater & gula & concupiscentia fructus vetiti, & sic in cæteris. Omnia igitur desideria, omnesque cupiditates, ut patet, filij sunt & filia amoris proprii: is enim est qui inordinatè hæc bona concupiscens claudit oculos, ne videat homo Deum, & legem eius transgrediatur. Si itaque nihil magis repugnet charitati quam peccatum lethale, (charitas enim est anima vita, & peccatum mors) quantopere quæso repugnet id, quod omnium mundi peccatorum fons, origo, & causa est, amor (scilicet iste inordinatus? Animaduertere igitur quam magni impedimentum amor iste adferat ad huius virtutis adeptionem.

Alio modo noxius etiam est charitati: non enim solum incentivum est ad peccatum: sed etiam impedimentum omnium maximum in consecutione aliarum virtutum, quæ animam ad amorem Dei disponunt, ad quod instituta sunt non aliter, quæ medicina ad sanitatem: ratio est, quia (ut vniuersa simul asserit Philosophia) proprium virtutis est exerceri in rebus arduis, & difficilibus: cui contrariatur amor proprius: eius enim natura est omnes labores & difficultates fugere; & proinde necessario quod fugere debet virtutem, cui difficultas est annexa. Quare quemadmodum cui non sapit quod dulce est; non potest comedere cibos muraticos, cum rebus dulcoribus, licet illi sint optimi saporis: sic qui capitalis est inimicus laboris & molestiæ, etiam virtutis inimicus est, quâ tumvis ea laudata sit, semper enim hæc virtuti adiuncta sunt. Hanc ob causam optimè dictum est à Seneca; In regno deliciarum virtus locum non habet, & in alio loco; Amicus sui virtutem despicit.

Huius etiam adiungitur, quod maior pars virtutum moralium occupatur in moderandis & temperandis naturalibus affectionibus, coercendo ne ad extrema dilabantur, (ea enim vitiosa sunt) & ad temperatam mediocritatem eas reducendo, in qua virtus consistit. Huic igitur etiam repugnat ataxia, siue intemperatus hic amor: qui ut præceptum est, & vehemens in omni suo desiderio, sic etiam omnes eius sunt pasciones, quæ ex illo deriuntur: quanto autem illæ vehementiores sunt, & fortiores, tanto minus virtus eas potest vincere, & in ordinem redigere: velut eques qui insidet equo furioso, effræni, & indomito. Qui itaque tantum adfert impedimentum in adipiscendis virtutibus, is non minus adfert in consequenda charitate, quæ sine illis omnino non potest consistere.

Est & alia ratio ad probandum, quod peruersus hic amor amoris diuini portas occludit. Quemadmodum enim superius dictum est, vnum ex præcipuis medijs, quibus hæc virtus impetratur, est profunda oratio, & consideratio earum rerum, quæ cor nostrum possunt hoc amore inflammare: huic autem exercitio obicem (quod aiunt) ponit alter iste amor, cum in corde nostro dominatur. Ratio est, quia ubi est amor, ibi est totus homo, cum omnibus suis potentijs & sensibus, ita ut nequeat illinc auelli. Quare qui primus dixit, Vbi est amor, ibi sunt oculi; et si verum dixerit, parum tamen dixit. Eadem

enim ratio, ob quam ibi oculi esse dicuntur, (ut cum voluptate contemplantur id quod amant) ob eandem causam ibi quoque sunt alij sensus, oblectantes se suo modo obiecti præsentia. Imò & voluntas illic erit, quæ cum rem amatam amplectimur: & intellectus, qui semper de illa cogitat; & memoria, quæ semper illius recordatur, & lingua, quæ semper loquitur de eo, quod quis amat. Omnes igitur sensus, tam interiores, quam exteriores amore illo occupantur. Quare Saluator dixit: *Vbi est thesaurus tuus*, (hoc est, id quod amas) *ibi est cor tuum*, id est, voluntas tua, cogitationes tuæ, & quidquid à corde seu voluntate tua dependet. Ante omnia namque amor voluntatem occupat, cogens eam, ne quid aliud velit, quam quod ipse vult: cumque voluntas sit Regina totius hominis, omniumque virium illius, ubi est voluntas, ibi omnes vires eius, ibi totus homo est. Hinc est vulgare illud dictum, Anima magis est ubi amat, quam ubi animat.

Id ipsum confirmatur celeberrima illa sententia Augustini, qui dicit, quod pondus est elementis, & corporibus naturalibus, id ipsum est amor creaturis rationalibus. Quemadmodum igitur omnes res naturales mouentur iuxta pondus, quod habent: (quædam enim sursum mouentur, ut aer, & ignis, alia deorsum, ut aqua, terra, & omnia corpora grauiora) sic etiam omnes creature rationales mouentur iuxta amorem, qui in illis regnat & prædominatur. Ut si prædominetur amor terrenus, omnes motus, omniaque desideria & exercitia sunt terrena: econtrario verò, si prædominabitur amor celestis, omnia illa erunt celestia: qualis erat amor Apostoli, qui dicebat: *Nostra conuersatio in calis est*. Ex quibus liquet, amorem Dei quasi signem esse, qui semper in sublimem ascendit, & non nisi tibi quiescit: alter vero amor est instar grauis terræ, quæ naturaliter deorsum cadit: illic enim est centrum eius, ibique tantum quiescit. Videmus igitur quantam in hominum vita differentiam duo isti amores generant; vnus enim vitam facit omnino terrenam, alter verò celestem.

Vt igitur ad propositum nostrum reuertamur, si verum sit, præcipuum medium diuini amoris acquirendi illud esse, ut scilicet homo aduocet omnes potentias animæ suæ, eleuans, & exercens illas in meditando die ac nocte magna & mirabilia Dei, nec non omne id, quod aliquo modo potest nos ad amorem eius excitare; quomodo poterit id homo efficere, qui rerum terrenarum amore plenus est? qui habet intellectum, voluntatem, memoriam, imaginationem, affectus, sensus, & cogitationes in illis immerfas & captiuatas? Vbi hic locum vacuum, & nondum occupatum inueniet amor Dei? ubi requiescet? quæ potentiarum seruiet illi, siquidem iam antea omnes amor ille externus præoccupauit? Tabula scripta, vel picta figuram aliquam continens, Simile vel imaginem, quomodo recipiet aliam, nisi prior illa deleatur? Terra quam agricola conseruit hordeo, quomodo capiet & producet triticum? Sic & cor amore mundi captum, quomodo poterit amorem Dei capere, qui per omnia est illi contrarius? Quare optimè dictum est à Seneca; Qui vere amat, vnâ rem solam potest amare. Hinc oritur ingens illa inter amâtes zelotypia, in qua vna pars semper suspectum habet amorem, quo diligitur altera, doletque omnem amorem in se non conuerti, seque solam non amari, quod & facile sentit: quemadmodum & in fontibus; quanto plus aquæ deriuatur per vnum canalē, tantò minus per alium fluit. Idcirco dicit Dominus apud Esaiam, ubi loquitur de animabus quæ reliquerunt illum, amore alieno correptæ: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, & pal-*

Et pallium breue utrumque operire non potest. Hæc sententia in nulla re melius potest verificari; quam in operibus amoris.

Hinc est quod homines illi sunt inepti ad amoris diuini exercitia, id quod probat ipsa rerum experientia. Volentes enim cor suum paulisper retrahere, & ad Deum eleuare, mox tanta imaginum, formarum, cogitationumque turba ingruit, vt ne per breuissimum quidem temporis spatium cor in Deo maneat immotum: cogitationes enim illæ auocant, & ad se retrahunt: imò nonnunquam cor & corpus simul seducunt, & ad quaerenda corporalia, quæ inordinatè diligunt, inuitant: adeo vt I. ymmano huic satis non sit captiuasse cor & corpus, cum omnibus sensibus, & potentijs suis: sed suffragatur etiam tempus & horas omnes: neque enim corpus, neque spiritus, neque cor suæ relinquitur libertati, vt vacent Deo rebusque diuinis. Sic amator diuitiarum, honorum, scientiarum, (quando hæc amat inordinatè) & pedibus & animo currit ad omnia genera commerciorum, negotiationum, exercitiorumque, quibus ea comparantur, existimans omne tempus sibi perire, quod istis studijs non impenditur.

Sed quid dicam? non tantum hoc modo amor iste filium spiritualium exercitiorum præscindit, sed etiam hominem ipsum tardum efficit, rudem, & ignarum. *Animalis enim homo*, inquit Apostolus, *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* si verò non percipiat, non amat; & si non amet, non delectatur: vbi autem non est delectatio, non est exercitatio, vel operatio: voluptas enim (vt est in prouerbio) perficit opus.

Distinet etiam amor hic alio modo diuinum illum amorem: solet enim ferè intentionem corrumpere, operumque nostrorum finem, quæ sunt talia, qualis est ipse finis, ad quem diriguntur. Proinde, quemadmodum amor Dei omnia ad ipsum Deum dirigit, ita vt Deum constituat vltimum finem, cæteraque omnia tanquam media quæ ad illum finem perducunt: sic contrariò amor proprius ordinat, & conuertit omnia ad bonum sui domini, & eum facit vltimum suum finem. Præterea amor Dei querit Deum in omnibus rebus, quantumuis cum suo dâno: amor autem proprius querit vbiq; suum commodum, & suum honorem, etiam cum iactura rerum diuinarum. Adhæc amor Dei querit in omnibus placere Deo, facitque illius voluntatem, negatq; propriam: amor autem proprius in omnibus querit proprium beneplacitum, propriamque voluntatem, quamuis illa diuina voluntati contrarietur. Hinc est, quod amor Dei nil est antiquius, nil charius, quàm in omnibus exerceri virtutibus: earum enim beneficio Deum tandem inuenit: amor verò proprius in eo potissimum exercetur, quod sibi iucundum est, & voluptatem adfert, animiq; sui cupiditatibus satisfacit. Ex quibus differentijs luce meridiana clariùs conspicitur, quàm impossibile sit duos illos amores in vno corde simul habitare, cum vnus alteri ex diametro contrarietur, oportet igitur vt vnus eiiciatur, si alterum velimus admittere, atque locum in nobis fortiri. Quemadmodum enim vas plenum aliquo liquore, alium liquorem capere non potest, nisi prior ille effundatur, præsertim si vnus liquor sit amarus, & alter dulcis: sic etiam necesse est euacuare cor nostrum amoris proprii amaritudine, si amoris diuini dulcedinem velimus infundere. Eleganter hoc Augustinus alia docet comparatione, dicens: Imaginare, frater mi, amorem esse manum, quæ si aliquid teneat, non potest aliud accipere: vt autem aliquid aliud accipiat, necesse est vt id, quod tenet, prius dimittat: Sic qui amat

Granat. Opus spirituale.

mundum, Deum amare non potest: manus namque animæ iam illo amore est plena. Geminus igitur amor ille bilancis instar est, cuius vna lanx si sursum tendat, necesse est alteram deorsum cadere: si vna eleuetur, fieri non potest, quin altera deprimatur. Etenim quantò magis crescit amor proprius, tantò magis decrescit amor Dei: & quò magis amor Dei augetur, eo magis amor proprius diminuitur. Ex quibus omnibus facile colligitur, quàm longè absint ab amore Dei magni illi amatores sui ipsius, vt sunt homines auari, ambitiosi, luxuriosi, & pusillanimi. etenim hi cum animo deiectioni sint, & pusillum cor habeant, magni faciunt omnia sua: custodiunt ea cum timore, & quod amant querunt cum inordinato desiderio.

Ne quis autem exspatescat, vel à præsentī nostrā *Philosophia doctrina*, vt nimis graui & ardua abhorreat, *etiam hanc doctrinam probatam fuisse.* considerandum est, etiam antiquos Philosophos sine fidei vel Euangelij lumine, sine exemplo Christi præuio, qualia nos habemus, magnam huius doctrinæ partem intellexisse, Plato enim cum copiosè admodum disputasset de verâ sapientia, & perfectione hominis, dixissetque illam consistere in mortificatione inordinatarum affectionum huius corporis, omniumque ab illo dependentium, vt viuamus (quantum fieri potest) optima parte nostri, hoc est, solo spiritu illum conuertendo ad considerationem & amorem Dei; (quemadmodum illæ altissimæ substantiæ faciunt, quæ corporis expertes sunt) tandem concludit, dicens, absolutam sapientiam in duobus consistere, Auerfione scilicet, & Conuerfione, hoc est, in amore ab omnibus rebus transitorijs abstrahendo, & æternis applicando. Et hanc Platonis sententiam omnes secuti sunt Philosophi, qui ex illa schola prodierunt. Mirandum igitur non est, fidem & lumen Euangelij hanc doctrinam profiteri, quam etiam lumen rationis inuenit.

DE MEDIIS ET SVBIDIIS, QVIBUS victoriam de inordinato superius amorem licet consequi.

CARVTV.

Cæterum he difficultas hanc tam potentem animi inclinationem superandi nos terreat, animumque despondere faciat, operæ præmium me facturum arbitror, si hoc loco commemorem, quæ nobis hic relicta sunt auxilia. Inter hæc autem *Auxilia in arduo hoc opere nobis data.* primum & præcipuū est ipse amor Dei, qui vt maxime contrarius est amorī proprio, sic omnium grauissimum illi bellum mouet, & quàm citissime domino expellit. Quemadmodum enim lux matutina *Amor Dei. Simile.* noctis abigit tenebras, adeo vt quantò magis lux crescit, tantò magis decrescant tenebræ, & tenebrarum diminutio sit lucis augmentatio: sic & quantò plus crescit amor Dei, tantò plus decrescit amor proprius: & quantò plus amor hic crescit, tantò amplius ille decrescit. Idem etiam alio exemplo convenientissimo potest declarari: quemadmodum enim vt aer intret per fenestram, oportet vt prius aperiat fenestra, quàm ipse aer, qui intrat aperita eodem modo vt intret in animas nostras amor Dei necesse est vt prius eiiciatur amor inordinatus: sed ipse diuinus amor potissimum iuuat hominem, vt omnis amor contrarius ex anima eiiciatur. Ratio est, quia simul cū amore Dei, Deus ipse ingreditur, & manet cum illo, qui viuit in amore suo: & simul cum illo quoque ingrediuntur alia bona, & delectationes tantæ dignitatis, atque suauitatis, vt homo qui eas semel gustauit, facile in animum inducat suum;

Vt amor Dei locum inueniat, proprius est euacuandus. Simile.

Aliud.

Cant. 1.

Bernard.
Serm. 35.
in Cant.

II.

Orationis
assiduitas.

Iosue 6.

III.

Labor homi-
nis quoque
requiritur.

scat suum, renuntiare alijs bonis omnibus, vt vnum hoc bonum consequatur; omnesque alias voluptates relinquere, vt hanc vnam sibi comparet: ipsa namque experientia docet illum, hanc vnam sibi multo esse vtiliorem, quam omnes alias. Etenim quemadmodum quis ex bona voluntate & libens renuntiat paruo beneficio, vt consequatur aliud maius: & rusticus facile desereret aratrum, si sciret se ad altiorum statum & dignitatem vocari: sic homo libens deserit amorem bonorum temporalium, qui neuit sibi etiam in hac vita danda esse longè excellentiora. Hoc aded verum est, vt, teste Augustino, vna sola guttula, quæ ex hoc riuo Paradisi hauritur, sufficiat, ad restringendam sitim omnium bonorum temporalium. Si autem Bernardo credamus, (vt sanè credendum ei est) non tantum guttula ista facit nos fugere desiderium horum bonorum, sed etiam contemptum parit & fastidium illorum. Id ille apertè ostendit; explicans verba illa Cantorum, quibus cum minatur cælestis ille sponsus sponsæ suæ, eamque erudit, dicens: *Si ignoras te O pulcherrima inter mulieres, egredere, & abs post vestigia gregum, & pascue hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Quæ enim anima, inquit D. Bernardus, semel à Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & querere faciem eius semper, (spiritus enim est Deus, & qui querunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, & non in carne, vt secundum carnem viuant) talis inquam anima, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius penaliuue ducat, quam post spiritualis studij huius guttatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis, sensumque inexplicabilem repetere curiositatē; hoc enim est pascere hœdos suos, qui sunt affectus & sensus, iuxta tabernacula pastorum: hoc est, vbi homines carnales pascunt sua desideria, sensumque suorum oblectationes.

Vide nunc quæso, mi frater, quam longe abest vt verus Dei amator amorem suum pro rebus transitorijs, aut mundi voluptatibus velit vel amittere, vel permutare, cum semel peruenit ad fruendum alijs cōsolationibus tam magnis, vt in comparatione illarum omnes voluptates mundi paulò minùs amaras & duras existimet, ipsis inferni tormentis. Ex quo discas has cōsolationes, & hæc bona tanta esse, vt in comparatione illorum omnia bona, pro quibus homines huius seculi digladiantur, videantur esse inferni supplicia. Noli itaque, mi frater, animum despondere: ea enim charitas, quæ tu queris, iuuabit te domo expellere eosdem inimicos, qui tibi bellum mouent: cum (vt iam dictum est) quātò magis hæc crescit, tantò magis illi decrescant, viresque suas amittant.

Iuuat etiam ad hoc ipsum orationis assiduitas, qua cum acquiritur diuina gratia, quæ potentior est natura damnata; ideoque præualer atque superat illam. Memento quòd sonitu tubarum sacerdotilium corruerunt muri Hiericho, vt ex eo agnoscas, quòd sonitu orationis (quæ propriè est Sacerdotilium omnes aduersarij nostri prosternuntur, viresque eorum debilitantur. Id ipsa experientia quotidieprehendunt illi, qui sese huic virtuti dediderunt; cum toties ab illa reuerſi experiuntur animas se habere tam alacres & infractas, vt subinde existiment, se nullis lanceis posse prosterni.

Ceterum inter hæc omnia subsidia non debet homo pigritari; imò debet sese continuo præparare, vt per vitæ puritatem disponatur ad influentias gratiæ percipiendas: ex parte namque eius nihil est, quod viam obstruit; atque ita manus illæ duæ simul con-

iungentur, quæ in omni opere bono necessariò requiruntur, labor scilicet hominis, & gratia Dei. Debet igitur prius omnis industria, omnis possibilis adhiberi diligentia ad eradicandum ex corde amorem illum noxium. Et quia is hæret tot radicibus, quot habet appetitus bonorum terrenorum; oportet vt seruus Dei omnes illas paulatim cultello amoris, timorisque diuini labore præscindere.

Secundum hanc igitur doctrinam stude ante omnia mortificare inordinatum amorem bonorum, laudum humanarum, & fauoris popularis, quæ leuius auolant, quam ventus, vna cum pompa, dignitate, & fastu mundi: cum inordinatum harum rerum desiderium nihil aliud sit, quam idioma huius mundi, opus vanitatis, & ramus superbiæ, quæ fuit prima porta damnationis, quæ aperta est & in celo, & in paradiso, & nunc stat latè patens in mundo. Ad hoc potissimum iuuat nobilissima virtus humilitatis, radix & fundamentum omnium aliarum virtutum; sicut superbiæ omnium aliorum vitiorum, de quibus superius dictum est. Ad hanc pertinet semper eligere locum infimum, tam in exultatione interiori, & contemptu sui ipsius, quam in omni cōtrectatione, & seruitio exteriori: optando potiùs seruire, & lauare pedes aliorum cum Christo, quam digniorem locum ambire cum Diabolo: habendo tamen rationem decori, quod & personæ, & officij, quo fungitur, auctoritati debetur.

Operam quoque da, vt refrænes inordinatum amorem diuitiarum, cum iniquum sit amari tantopere bonum, quod non semper remanet ei, qui possidet: nec meliorem facit illum, nec maiorem, nec hilariorem? imò quod multis est materia vitiorum, nutrimentum deliciarum, stimulus cogitationum, & follis superbiæ, atque præsumptionis. Huc facit virtus euangelicæ paupertatis, quæ est prima inter octo beatitudines, ad quam pertinet non tantum spontaneus diuitiarum huius mundi contemptus, (quem S. Gregorius in medijs diuitiarum copijs habuit) sed etiam amor atque imitatio nuditatis, & paupertatis Christi. Eligere itaque, & affectare debet homo ea omnia, quæ spectant ad vsum vitæ vilioris, & pauperioris: vilem domum, durum lectum, tenuem mensam, rude vestimentum, angustam suppellectilem, denique omnia sunt talia, vt redoleant paupertatem: semper tamen oculum conijciendo in qualitatē status, & personæ, vt mox dicebamus. Quod si hoc feceris, certò scias, quod præter regnum cælorum (quod Saluator promittit) liber etiam eris à concupiscentia, communi generis humani peste, Ecclesiæ Christianæ exitio, atque vniuersali semine omnium peccatorum, vanarumque huius mundi cogitationum. Cogita præterea, quāto pauperius erit corpus, tantò diuiciorem esse spiritum.

Contende etiam mortificare omnes sensuum voluptates, tam oculorum, quam aurium, gustus, tactus, cum omnibus alijs rerum curiosarum, & venustatum appetitibus; faciendo ex cunctis his delectationibus Deo sacrificium, libandoque cum Dauide aquam de cisterna Bertheleem Domino offerendo: quæ cum Abraham filium tam dilectum: voluntariè renuntiando omnibus his voluptatibus, & asperitatem crucis amplectendo. Hoc loco considera quā dux tractarunt corpora sua Sancti omnes, præsertim ille, qui à Salvatore nominatur inter omnes maximus: vestitus enim erat cilicio, comedebat locustas, & mel siluestre: nunquam vinum aut ficeram bibit, & in deserto procul ab omni oblectamento atque humana cōsolatione habitabat. Labora quantum potes horum austeritatem imitari;

cum manifestum sit, hæc non dari, nisi his, qui sese vt illi affligunt. Si enim Spiritus sanctus non descendit in Discipulos, quamdiu in Salvatore corporaliter cū illis versabatur, (noluit enim diuina Sapientia duas illos simul habere consolationes) multo minus veniet daturus consolationes celestes his, qui consolationes captant terrenas. Sciebat hoc optimè S. Iob, quando dicebat, *diuinam Sapientiam* (hoc est, suauitatem & amabilem Dei cognitionem) *non inueniri in terra suauiter viuendum*. vt hinc facile cognoscas, eum longe abesse, vt Deum inueniat, qui querit illum in hac terra, hoc est, qui delicate viuunt.

Hoc modo igitur debet homo quotidie mori in omnibus suis affectibus, vt tandem soli Deo viuatur, fiatque totus spiritualis: & quanto spiritualior, tanto Deo similior, qui purus spiritus est; magisque dispositus, vt viuatur, fiatque vnus aliquid cum eo. Præterea, quia hic proprium nostrum institutum est, amorem proprium occidere, contrarium autem vincere non potest, nisi per alterum contrarium, ideo debemus operam dare, omnibusque neruis & viribus nostris anniti, vt introducamus in animas nostras iustam indignationem, odiumque sanctum carnis nostræ, cum omnibus suis appetitibus: illud enim odium expellit amorem proprium, suum contrarium. Hoc & Saluator docuit, cum dixit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam.* Quibus verbis commendat Dominus abnegationem sui ipsius: atque hæc est vitæ Christianæ crux. Cæterum quia Dominus optimè intelligebat id fieri non posse, nisi amor malus odio bono expellatur, mox subiunxit: *Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam.* Ne quis autem expauescat, audiens nos de odio & contemptu sui ipsius dicere: sciendum est, nos hic loqui non de eo, quod opus est, & creatura Dei: sed de eo, quod opus est antiqui serpentis, qui venenoso suo afflatu infecit carnem nostram, in eaque reliquit omnes fomites atque inordinatos affectus, malitiamque inclinationes, quæ in ea reperiuntur, aduersus hæc omnia efficax est sanctum hoc odium, quod hic requirimus. Quod etsi propriè pugnet contra has malas inclinationes, quæ à peccato processerunt; quia tamen illæ in carne nostra fixæ sunt, & crescunt cum deliciis illius, ideo malè tractamus illam, tanquam quæ fouet nostros inimicos. Malam verò hanc tractationem, quæ de iusto quodam odio sui ipsius procedit, et si nos odium appellemus, amor tamen est maximus, quo quis potest semetipsum amare. Probat hoc optimè D. Bernardus, qui cum audisset quosdam exhorrescere, eo quod videbant monachos eius tam rigide & seuerè corpora sua tractare, dicentes tales sese capitali odisse odio: respondit vir sanctus, dicens: quod ipsi vere semet ipsasque corpora odio prosequerantur, eo quod corpora sua his momentaneis & exiguis rerum sensualium deliciis fouentes æternis ea tormentis mancipabant: Monachos autem reuera sua corpora diligere, qui ea hic modicè affligebant, vt æternam consequerentur requiem. Pater enim non odit filium infirmum, quando cibos illi subtrahit noxios, aut nimiam prohibet edendi auaritatem: ea enim damnoſa sunt; neque etiam odit, cum acriter illum castigat; vbi id meretur: imò tunc vel maximè amat.

Si quis igitur scire volet, quomodo hoc odium sanctum, & amore plenum carnis nostræ in animabus nostris possit generari, sciat id eodem more gigni, quo amor. Quemadmodum enim multiplicatur

Granat. Opusc. spiritual.

do actus amoris Dei, gignitur, & fortificatur sanctus ille amor: sic etiam multiplicando opera huius odij (qualia sunt disciplina, cilicia, humi cubationes, similesque corporales austeritates) paulatim introducit & creatur hoc sanctum odium. Qui itaque diuinum hunc amorem desiderat, debet corpus suum durius tractare, prout melius, & cum discretione poterit: memor eius, quod de contrarium faciente scriptum est: *Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Ne itaque hic peccemus, necesse est, vt malum hunc seruum durius, asperiusque tractemus in omnibus: in edendo, bibendo, dormiendo, vestiando, atque in omni re alia: dando illi panem ad mensuram, & disciplinis crebrioribus illum castigando, cilicijs quoque, ieiunijs, duritie lecti, similibusque operibus domando: sicut tamen, vt habeatur ratio status, sanitatis, & conditionis vniuscuiusque. Debemus autem id multo magis facere in rebus non necessarijs, vt creetur habitus in nobis necessarius faciendi res necessarias: quemadmodum faciunt illi, qui sese militia dederunt: hi namque tempore pacis exercent sese in ijs, quæ in bello sibi possunt esse vsui. Et hæc videtur mihi nequaquam causa minima, propter quam Sancti, & potissimum Patres in eremo (qui sæpe plurimis vitæ suæ annis extra periculum & temptationes carnis degebant) nunquam destiterunt à consueta vitæ austeritate, carnisque maceratione: non tam propter periculum, quàm ne desisterent ab exercitio carnis malè tractandi, facientes semper ea, quæ amori proprio aduersabantur.

Vt autem homo facilius hanc seueritatem in corpore suo queat exercere, debet considerare, se non esse creaturam irrationalem, quomodo sunt omnes aliæ creaturæ, tam cælestes, quàm terrestres, quæ sunt aut purè spirituales, vt Angeli: aut purè corporales, vt reliquæ omnes: sed quod compositus est ex duabus partibus, vna spirituali, & altera corporali, tam differentibus inter sese, vt Apostolus vocet vnā hominem interiorem, & alteram exteriorē: adeo vt quodammodo vnus homo sit geminus homo, seu in vno homine sint homines duo, tam contrarij in affectibus, quàm in naturis. Corpus enim amat res corporales, & temporales: sed spiritus spirituales, & æternas, vt quæ suæ naturæ conueniunt. Magna itaque pars studij atque exercitij virtutis consistit in eo, vt cogatur pars corporalis obedire spirituali, & relictis appetitibus, fomite, malisque inclinationibus, assimiletur (quantum fieri potest) parti hominis spirituali: sicut fecit Apostolus, qui dicebat, *Castigo corpus meum & in seruitutē redigo*, spiritus scilicet, non appetitum. Ita vt corpus suum tractauerit, sicut eques equum suum furiosum, & efrænum; cui tandem industria & magnanimitate dominatur, facitque, vt cogatur ire, quod, & quibus palsibus ipsi placet.

Ferunt nonnulli Philosophi, qui tantam rationem diuisionis harum duarum partium hominis habuerunt, vt dixerint spiritum esse verum hominem, corpus verò nihil aliud esse, quàm vestem, qua homo tegitur, asseuerauerint. Sic memoriæ proditum est de Nicocreonte Tyranno Cypri, qui cum Anaxarchum celeberrimum Philosophum in potestate haberet, memor iniuriæ tempore Alexandri Magni ab eo acceptæ, pistillis eum ferreis in mortario contundi iussit. Quare magnanimus ille Philosophus in hæc verba prorupit: Tunde Anaxarchi mantica, nam Anaxarchum non percutis. Hoc exemplum posui, vt amator perfectionis intelligat diuisionem harum duarum partium hominis, (et si non eo modo, quo Philosophus ille opinabatur) quando enim spiritus castigat corpus, non in se-

Ecc 2

plum

psum scire dicendus est, sed in vicinum suum inimicum.

Cant. 3.

Ad hanc seueritatem & odium sanctum plurimum conducit, vt diximus, amor Dei: de quo scriptum est in Canticis, quod fortis est sicut mors. Et sensus verborum illorum est, quod sicut mors segregat hominem ab amore & usu omnium rerum mundanarum: sic amor Dei habens sub suo imperio spiritum nostrum, illum corroborat, vt ab omni affectu carnis cum in modum separatur, ne se ab illius appetitibus, cupiditatibus, prauisque inclinationibus trahi patiatur: faciatque potius, vt caro feruiat desiderijs spiritus. Et hoc est illud, quod Apostolus succinxit, *Vnus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio accipiti: & perungens usque ad diuisionem animae ac spiritus*: intelligens per animam partem sensitiuam, in qua sunt appetitus nostri sensuales, qui alio nomine dicuntur caro. Quibus verbis Apostolus declarauit virtutem Verbi Dei, & gratiae illius, quae facit vt spiritus noster diuidatur ab omni appetitu, fomite, & mala inclinatione carnis nostrae, neque patiatur se seduci ab illis, sicut faciunt spiritus hominum sensualium, qui se totos in omnibus, & per omnia illis permittunt: qui omnem suam industriam & acumen ingenij eo dirigunt, vt quarant, inueniantque modos omnes, quibus carni blandiantur, eiusque appetitibus satisfaciant, adeo q, sicut idem Apostolus dicit, *qui adhuc et mortui, vnum corpus efficiunt*: sic adherens spiritus carni nostrae, decidit a naturali sua generositate, & nobilitate, fitque totus caro. Contrarium facit Verbum Dei, & gratia in omnibus Sanctis, efficiens hanc salutarem diuisionem inter spiritum & carnem.

1. Cor. 6.

Peculiares aliquot hominum de seculis.

Hae sunt generalia documenta, quae vniuersaliter pertinent ad omnes, est enim in omnibus amor quidam proprius. Volo autem & his alia quaedam adiungere particularia, propter particulares quosdam defectus, malasque inclinationes, quibus cum aut nascuntur singuli, aut quos longo usu contrahunt. Etenim licet illi non sint tam generales, sicut alij, nihilominus vna sola praua inclinatio, quae non refrenatur, potest impedire perfectionem, & aperire portam omnibus animae inimicis. Necesse igitur est, vt homo sit diligentissimus censor omnium suorum defectuum, malarumque inclinationum, oretque Dominum, vt lumen det, cuius beneficio cognoscat illos: quosque iam cognouit, his perpetuum bellum indicat, certa cum spe victoriae. Quoniam potuit in Euangelio ex aqua facere vinum, & qui quotidie ex lapidibus suscitauit filios Abrahae: potest etiam naturales condiciones mutare in alias, & ex malis facere bonas. Hoc modo igitur, & his exercitijs paulatim vincet homo naturam, & introducetur in animam nostram sanctum hoc odium, sufficiens ad exterminanda omnia contraria, vt sunt amor inordinatus sui ipsius, & voluntas propria.

Ioan. 2.

Obiectio.

Sed dices forte: Quomodo fieri poterit, vt quis possit semetipsum odire: hoc est, proprium corpus suum, cuius naturaliter tantus est amicus, vt Apostolus dicat: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam*? Hoc argumentum proprie est carnis & sanguinis; spiritus autem & gratia interrogant potius, & maiori cum ratione, quomodo fieri potest, vt hoc non fiat? Quid enim sub celo abominabilius, maiori que dignum est odio, quam peccatum? Confer id cum ipso inferno, & inuenies peccatum maius malum esse inferno, & infernum minus esse supplicium quam peccati meretur. Sed quae maior causa fuit plurimorum peccatorum, quae in hoc mundo commisit, quam propria tua caro? An igitur tibi non videatur res contemptu & odio

Ephes. 5. Responsio.

digna esse, quae tibi fuit occasio, & incentiuum tot tantorumque malorum? Quoties te in Infernum praecipitauit? Quoties te fecit infinitam illam bonitatem offendere? quot bonis spiritualibus te priuauit? quoties salutem tuam in periculum adducit? Quomodo itaque non indignaberis contra eam, quae tot te malis affecit? tot te bonis spoliavit? in totte pericula coniecit? Quod si detesteris Diabolum, & unquam capitalem tibi habeas inimicum, propter bella quae tibi mouet, & detrimenta quibus te affecit: certus esto, quod omnes simul inuncti Damones tibi nec tam crudele bellum, nec tam continuum poterunt mouere, quam tu propria tua carne, quae tecum viuit. Multo enim debiliores essent Damorum vires, si non staret a partibus eorum Eua, quae adiuti te inuadunt: adeo vt, cum insensibilis hominis inimici sint Infernus, Diabolus, Mundus, Caro, & Peccatum, quod vltimum maximum est; secundum locum occupet caro nostra, quae mater & semine est peccati: quare & Apostolus illam peccatum appellauit. Primum itaque odium veri amatoris Dei debet esse aduersus peccatum, secundum contra malas inclinationes propriae carnis, quae excitat & irritat peccatum.

Sed & hoc dico, quod caro per suos appetitus est primaria occasio omnium peccatorum, quae tu in Deum commisit. Et eadem cum veritate dici potest, eandem esse causam omnium peccatorum, quae vnquam facta sunt, quae sunt, & quae fient in mundo. Et quod mundus hoc tempore viuit in tantis delicijs, concupiscentijs, vanitatibus, dissolutionibus, adiuentionibus, voracitatibus, ebrietatibus, fornicationibus, & voluptatibus sensibilibus, certi est carnem esse vnum ex praecipuis fontibus, unde haec mala scaturiunt: & ipsa est, quae potissimum mundum destruit, honoremque & gloriam eius, qui creauit illum, obnubilat & explodit.

Si volueris autem maiori in carnem tuam armari odio, memento vitia, & peccata, quae ex illa procedunt, Dominum Deum tuum flagellasse, spinis coronasse, illuisse, felle & aceto potasse, denique & in crucem egisse: cum extra controuersiam sit, sublato peccato, causam nullam fuisse, cur Christus pateretur, quod passus est. Quod cum ita sit, quomodo fieri potest, vt tu tam inordinate ames id, quod tam nequiter & crudeliter in mortem Domini tui coniurauit? Haec si oculo rationis intuearis, videbis magis mirandum esse, inueniri qui amet propriam carnem, a qua tanta in eum mala dimanant, quam inueniri, qui odio habeat illam. Malum autem hoc oritur non a ratione, sed a vinculo naturae, quae facit nos tam tenere amare, quod tam infense deberemus odire. Illud mihi diuinitus adumbrari videretur in amore illo, quo Dauid filium suum Absalonem complectebatur; a quo licet magis offensus esset, quam vnquam pater aliquis a filio, nihilominus curam eius vitae habuit, & mortem eius acerbissimo cum dolore desensit. Quod igitur illic faciebat vinculi naturae, hoc ipsum hic facit amor inordinatus, quo carnem nostram diligimus. Non enim illa meretur amplius amari quam Absalon iste pessimus omnium, quos mundus vnquam sustinuit, filiorum. Non igitur id ex ordine iustitiae, sed ex miserabili sympathia & compensione naturae deriuatur.

Præterea (vt ab hoc iugo libereris) debes etiam considerare, quam turpe sit, quod creatura tam generosa, qualis est homo, (qui capax est Dei, & gloriae illius) eo deueniat ignominiae, vt fiat mancipium rei tam brutae, quam est caro, cum omnibus suis appetitibus & voluptatibus. Diuino quodam spiritu dictum est a Seneca: Maior sum, & ad maiora genitus, quam vt mancipium sim mei corporis. Quid hoc aliud

Caro magis quam deus

Rom. 8.

Caro vniuersi peccatorum occasio.

Caro causa passionis Christi.

1. Reg. 11.

Rom.

Hic vniuersi sunt mali carnis in se.

Seneca.

aliud

Luc. 15.

Mercurius
Trismegisti.

Lodoicus
Celsius in li-
g. antiq. lect.
cap. 9.

Rom. 7.

aliud est, quam cum filio prodigo porcos pascere? Quemadmodum enim porci delectantur fœtore luti; sic appetitus carnis nostræ nullare alia oblectantur, quam spurcissimo delectationum sensuum cœno: ideo qui sic viuunt, sciat se in oculis Dei sum filio prodigo porcos pascere. Quid igitur indignius generositate atq; nobilitate hominis, qui ad tam sublimia creatus est, quam vitam in exercitio tam vili absumere: in quo (ob magnam nostram cœcitatē) hodie melior & maior pars mundi occipitur. Quid enim maiori cum studio atque anxietate querunt, quam molliciem, pompam, & illecebras corporis, diuitiasque mundi, vt voti sui fiant compotes, sumptusque suppetant, vt possint quod velint? Aduersus hos nolo allegare quod dicunt Sancti, sed quod Mercurius Trismegistus, Philosophus Echnicus olim exclamans dixit; O homines in hac terra habitantes, qui meris, sepulchrisque estis somno, ebrietate & ignorantia: viuite temperate, fugite delicias, ventrisque seruitutem. Cur sopiti somni bestialis dulcedine, præcipientes ad mortem curritis, cum non desit vobis via & modus immortalitatis consequendæ? Leuate vos supra vos: vos inquam, qui viuitis animarum vestrarum paupertate, tenebrisque ignorantie. Exite ex hac obscura luce, corruptionem fugite, & ad immortalitatem tendite. Hæc Mercurius: cuius verba Christianos confundunt, inter quos tot sunt, qui adeo ventris obsequio sunt dediti, vt sub hoc nomine Christi viuant, sicut discipuli Epicuri: qui asserabant beatitudinem in voluptatibus consistere.

Cum autem in mentionem insignis huius Philosophi incidimus, referam & aliam admirabilem eius sententiam, quæ citat Lodoicus Celsius, in quarto antiquarum lectionum libro; quam cum legi, vehementissimè admiratus sum. Cum enim, quæ hic à nobis tractatur, sit doctrina sublimior Euangelij, ille paucis verbis exprimit, quantum hic de hoc suis ipsius odio dicitur, & simul docet modum ad illud perueniendi. Dicit igitur sic; Nisi, o fili, tuum corpus oderis, te ipsum amare non potes: quam primum verò non te, sed Deum ipsum dilexeris, mentem protinus consequeris. Hanc denique nactus, euestigio scientiam comparabis. Impossibile verò est, vtrisque simul intendere, mortalibus & diuinis. In primis verò quam circumfers vestem, exuere oportet, indumentum inficitæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viam mortem, sensum cadaver, sepulchrum circumuertile, domesticum denique fœtorem: qui dum blanditur, odit; dum odit, inuidet: vmbra culi inimicum, ad seipsum raptans deorsum, ne forte conspiciens veritatis decorem, eius oderis prauitatem. Hactenus sunt verba huius Philosophi, quem veteres in tali habuerunt veneratione, vt ei Trismegisti, hoc est Ter Maximi nomen indiderint. Nec immerito sic eum appellarunt: quia in medio tenebrarum gentilitatis ipse tantam lucem inuenit, quanta in his verbis continetur. In quibus notanda sunt nomina, quibus hoc corpus nominat, quod Apostolus corpus mortis vocat: hic autem Philosophus nuncupat illud indumentum inficitæ, mortem viam, sepulchrum circumuertile, cadaver sensum: vt significet animam in eo quasi sepultam esse, & nihilominus ab vna parte ad aliam moveri. Optime autem appellat indumentum inficitæ: etenim nebula suarum passionum exæcat lumen rationis, vt non videat veritatem. Vocat mortem viam: viam, quia sentit mortem, quia occidit animam derinens illam in se tanquam mortuam: non enim finit illam vti sua generositate, natureque suæ celsitudine. Sub j. c. etiam, Ad seipsum raptans deorsum, ne forte con-

spiciens veritatis decorem, eius oderis prauitatem: submersus enim & inuolutus in illo spiritus non se eleuat ad cognoscendam pulchritudinem veritatis; vt tandem aspernetur, & detestetur suum corpus, à quo tanta damna percipit.

Hæc igitur considerationes, si bene intelligantur, creabunt in animabus nostris sanctum hoc odium, vt durius tractemus corpus nostrum, quod vt persuadeamus, hic nostrum est institutum. Quod si his omnibus non permoueamur ad hoc odium, saltem corpora nostra tractemus, sicut discretus pater suum filium: qui ex industria nunquam filio blandum ostendit vultum; imò potius seuerum & grauem, exercens eum laboribus, & id cauens, vt in edendo, bibendo, dormiendo, vestiendo, aliisque rebus similibus asperè tractetur, & procul sint omnes deliciae, omnisque corporis mollicies: vt hoc modo cutis indureseat, callumque obducatur in laboribus, & ad omnem actionem, quæ cum virtute & honestate fieri debet, adaptetur: non enim est virtus sine labore, & difficultate.

Sed quia hæc bestia tam effrenis est & indomita, quod omnia hæc vix sufficient ad coercendam illam; debet homo aliud quid simile adiungere, quo amor Dei conciliatur. Quemadmodum enim desiderium huius amoris eundem nocte dieque à Domino implorat, simulque exercetur in consideratione omnium earum rerum, quæ cor nostrum hoc amore possint inflammare; (quales sunt considerationes de beneficijs, & perfectionibus Dei) sic qui vult sibi comparare sanctum hoc odium in anima sua, illud semper à Deo petat, quemadmodum & amorem petit: & sæpe consideret ea, quæ possunt eum ad hoc sanctum odium excitare: qualia sunt multitudo damnorum, à mala hac carne acceptorum, (sicut iam dictum est) vnà cum prauitatibus, corruptionibus, & defectibus, quæ in illa latitant: horum enim singula irritant nos aduersus carnem, idque magno nostro merito. Hæc omnia, & præcipue Deus, promouent hoc ministerium, creantque in nobis salutarem hunc affectum, non enim minoris difficultatis negotium est, seipsum odire, quam Deum amare.

Erat persona quædam deuota, quæ memor, quod B. Franciscus desiderans plurimum Deum cognoscere, vt amaret eum; & semetipsum, vt contemneretur; maiorem noctis partem insumpsit in vna oratione hæc verba reperendo; Deus meus, nouerim te, & nouerim me: Deus meus nouerim te, & nouerim me. Eadem persona memor exempli eiusdem Sancti repetebat in sua oratione similia verba, dicens; Deus meus, amorem & odium; Deus meus, amorem & odium: intelligens per amorem, amorem Dei: & per odium, iustum & salutare illud odium, ac seueritatem aduersus appetitus suæ carnis. Quandoque etiam accipiens disciplinam, eadem verba repetebat toto tempore, quo exercitium illud durabat: petens à Domino nostro sanctum hunc affectum, & simul exercens sese in opere, quo creatur, hoc est, in castigatione, duriorique tractatione sui corporis. Hic est optimus modus negotiandi cum Domino, oratione, scilicet, quæ fit ore; & opere, quod manu fit.

Nec aliquis admiretur machinas & apparatus hunc, quem produximus contra proprium amorem: est enim tam potens, & tam generalis hæc passio, vt hæc omnia, & quidē multo plura ad eius expugnationem sint necessaria, vt tandem reducat ad illam temperantiam, & moderationem, quæ requiritur, ne oblit virtutis. Quemadmodum igitur cum virgam quæ curua est inclinamus, & flectimus in partem contrariam, non vt sic maneat, sed vt tandem

Hæc;

illa

illa inflectione recta fiat: sic etiam manum armamus in proprium amorem, non ut omnino perdamus illum, sed ut rectum faciamus, & temperemus, sicut supra dictum est.

DE PURIFICATIONE ET MORTIFICATIONE PROPRIÆ VOLUNTATIS.

CAPVT VI.

Post purificationem & mortificationem amoris proprii, sequitur illa propriæ voluntatis, quæ soror est & filia eiusdē amoris proprii. Erit autē fortassis qui quæret, quæ differentia sit inter amorem proprium, & propriam voluntatem. Huic respondemus, in significatione, in qua nos sumimus hæc duo nomina, amorem proprium (ut diximus) hic esse inordinatum amorem omnium rerum, quæ spectant ad delicias corporis, & ad excessiuos apparatus, pompamque huius mundi. Sed per propriam voluntatem intelligimus, non tantum appetitum harum rerum, sed etiam appetitus & inclinationes vehementes, quibus homines etiam in alias res exstant. Vnus enim naturaliter propendit ad ludendum, alius procliuus est ad venandum, tertius ad piscandum, quartus ad aucupia; quidam ad edificandum, confabulandum, cum alijs cōuersandum; alij ad murmurandū, nonnulli ad literas prophanas, ad arma, ad voluptates, & indulgēdum genio, cutemque probē curandam. Sunt qui student pompis, fastui, & vanitati; & sunt qui oblectantur lectione librorum de bellis, de equitatibus, de peditatibus cōscriptis: quique vno loco diu consistere non possunt; & curiosi sunt? hoc est, cupiunt videre insolita, & scire vitam aliorum. Quidam sunt instar Atheniensium, qui nulla re alia occupantur, quam ut audiant res nouas: quidam iterū facile quid apprehendunt, ideoque nimium pertinaces in sua voluntate, & impatientes nimium in his, quæ volunt: alij denique ad alia infinita propensionum genera inclinantur: quæ quidem tot sunt, quot sunt conditiones hominum; qui quā differentes sunt in vultibus, tam differentes etiam sunt in moribus, in conditionibus, in peculiaribus appetitibus, & inclinationibus, quæ ab illis procedunt. Hoc igitur est, quod hic propriam appellamus voluntatem.

Hæc igitur voluntas non minus noxia est, nec minus ad vincendum difficilis, amore proprio: cuius tamen victoria non minus est necessaria, quā alterius. Cum enim summa totius Christianæ religionis consistat in amore Dei, etiam consistit in perfectissima obedientia, & sanctæ illius voluntatis conformitate; quæ proprius effectus est eiusdē amoris diuini. Etenim (ut quidam Sapiens ait) idem velle & nolle id demum vera est amicitia. Sunt namque duæ virtutes istæ tanquam sorores inter se, ad eodē vt Dominus ipse quodam loco dicat; *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* & alibi; *Qui seruat mandata mea, hic diligit me.*

Hæc itaque perfectissima obedientia, & cum voluntate Dei conformitas facit hominem verum Dei seruum. Videmus enim optimam conditionem, quæ in seruo potest desiderari, esse, vt domino sit obedientissimus, faciatque in omnibus, & per omnia voluntatem eius. Sic & seruus Dei debet eandem habere promptitudinem, vt obediat ei in omnibus quæ præcipit, & quæ in diuinis libris comprehenduntur. Nec tantum obedire debet ei in his, quæ præcipit expressis verbis, sed etiam in ijs, quæ seu per inspirationes, seu per vocationes (si tamen Scripturis diuinis, Sanctorumque doctrinæ non aduersentur) manifestat. Exempli gratia, si homo sentiat se fructum facere in exercitio orationis, aut in vita

contemplatiua, & tamen magis inclinatur ad aliud aliquod virtutis opus, in quo anima nō inuenit tantam custodiam, tantum feruorem, tantam a defectibus puritatem, quantam inueniebat in illo priori; indicium profecto magnum est, Deum hominem istum ad prius illud exercitiū potius vocare, quā ad posterius. Quare omnes animi vires eodē debet conuertere, vt vincat in hac parte propriam voluntatem, & propensionem, deferatque id quod minus est, propter id quod maius est: nisi fuerit contrarium particulari eius officio, aut obligationi. eodē quod videatur hæc esse voluntas Dei, quæ nos semper trahit ad nostram, vt ait Apostolus, sanctificationem. Et non solum in hoc, sed in omni aduersitate, infirmitate, paupertate, solitudine, & siccitate spiritus debemus nos diuinæ voluntati assimilare; nostram ad manus eius resignantes, & prompti semper ad bibendum calicem, quem ille nobis proprinare decreuit.

Qui hoc faciunt, sunt veri & fideles Dei serui, filijque obedientia: inobedientes autem in sacra Scriptura vocantur filij Belial: hoc est, absque iugo: eodē quod rebelles sunt, & duræ cervicis: qualis erat populus ille, cui dixit Deus pro Prophetam; *Scitis quia durus es tu, & neruus ferreus cervix tua, & frons tua area: & ideo transgressorem ex utero matris tue vocauit te.* Vt igitur figiamus nomen tam ignominiosum, & gaudeamus dignitate tam eximia filiorum obedientia, necessaria est abnegatio & propriæ voluntatis mortificatio, quæ nonnunquam adeo solet esse diuinæ voluntati obstrepera, vt dixerit Iob; *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum inimicus ipsi graui?* Quod cum ita sit, fieri non potest, vt perfecte regnet in nobis voluntas Dei, nisi prius voluntas nostra moriatur: adeo vt (sicut antea diximus, ad consequendum amorem Dei necessarium esse, vt mortificetur amor proprius, sic vt regnet in nobis voluntas Dei) oporteat ante omnia destruere regnū voluntatis propriæ. Et si simul regnare nequeant ambæ hæ voluntates, nec simul viuere, sed omnino necesse sit, vt altera moriatur, & viuat altera: quid rationi magis consentaneum, quā vt viuat voluntas Dei, & non hominis? Nihil enim convenientius, quā priuari nos nostra voluntate, vt dulcius fiat voluntas Dei. Auriga id studiosè agunt vt axes semper bene vincti sint, quod facilius rota vertantur: nos autem, vt voluntas diuina melius in nobis adimpleatur sine contradictione, primum nostram propriam voluntatem expellere debemus.

Exercitium hoc sancti commendant sub diuersis nominibus. Aliquando enim vocant abnegationem, nonnunquam mortificationem, subinde resignationem; quæ tria vnam eandemque rem, licet sub nominibus diuersis, significant. Vocant abnegationem, quia negamus nostram voluntatem, & libertatem, quæ res est magis intima, magisque principalis omnium, quæ in nobis sunt, tradendo eam in manus alterius, & renunciando vsui & dominio naturali illius, priuando nos ipsos nobis, & alienando nos à nobis, quod sacrificium profecto est maximum, quod Deo potest offerri. Appellatur etiam mortificatio; mortificamus enim & occidimus proprium nostrum velle, illud Deo immolando. Id enim quia non fit sine dolore, merito dicitur sacrificium & mortificatio. Nuncupatur & resignatio, atque hoc vocabulum magis est significatiuum: resignat enim se homo ad manus Dei, Deo se subijcit, & se spoliatur seipso: quæ admodum facit qui resignat beneficiū aliquod Ecclesiasticum, ad manus sui superioris: illud enim nō est aliud, quā proprietatem illam, quā antea habebat, tradere in dispositionem & voluntatem superioris. Hoc modo & Sancti sua voluntate spoliantur, & diuinæ facti sunt subiecti, ita vt quasi semper

Varia hominum studia.

Ioan. 14.

In quibus homo debet Deo obedire.

filij Belial
Iudic. 19.
Eia. 44.

Variantia
na abnegationis
tionis voluntatis.

per visi sint dicere cum Apostolo: Domine quidvis
me facere?

Ad hoc igitur mortificationis exercitium inuitat
nos idē Dominus in Euangelio, sub nomine morti-
ficationis, cum dicit: Amen amen dico vobis, nisi granum
frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum
manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum ad-
feret. Vnde liquet, quod in perfecta mortificatione
latet veræ vitæ fructus. Qui enim semper moritur in
semetipso, semper denuo viuunt in Deo: anima autē
resignata & mortificata, est quasi acinus vitæ matura-
ra, & suavis: ea verò quæ talis non est, quasi botrus
viridis & agrestis. Nihil potest offerri Deo gratius,
proprie voluntatis renunciatione: nihil enim magis
amatur ab homine, quàm illa. Quando igitur homo
resistit huic sensuali voluntati, licet in rebus exiguis,
proculdubio rem facit Deo gratissimam, obsequiū-
que illi præstat maximum. Si inferatur in mensam
missus aliquis delicatus, vnde licet homini sine pec-
cato comedere, & tamen abstinet se ab eo, idque
propter amorem Dei, resignans appetitum suum, &
abnegans illum, fiat quod magnum exhibet Deo
cultum, quemadmodum scribitur de Dauide, quod
noluit bibere aquas de cisterna Bethleem, tantopere
ab illo desideratas: non quia existimabat se magnū
quid facere, quod effunderet vas aquæ coram Do-
mino; sed quia hoc faciens sacrificabat Deo, & offe-
rebat ei suæ voluntatis desiderium: quod cum esset
ingens, etiam existimabat ingens se Deo immolare
sacrificium. Si Deus itaque tam exiguum mortifica-
tionem remuneret, quid putas præparauit his, qui
propter amorem eius omnibus renunciant? Ut
autem exerceatur in hac virtute, necesse est ut ho-
mo sape dicat in semetipso: Propter amorem tuum,
Domine nolo videre hæc rem, nec illam audire: nolo
Domine istas gustare delicias, aut frui hac recrea-
tione: in omnibus enim his merebitur, habitumque
negandi propriam voluntatem acquireret. Ad eod quod,
sicut iam diximus, plurimum conducit ad mortifica-
tionem amoris proprii, suis resistere appetitibus,
etiā in rebus licitis: similiter etiam inuadit ad mortifi-
cationem propriæ voluntatis, sape resistere suis desi-
derijs in iisdem rebus. Cum enim duæ istæ passionēs
adeo inter se sint similes, similia etiam debent esse
remedia. Nam sicut amor proprius passio est poten-
tissima, quæ difficillimè vincitur, & quæ sese fre-
quenter misceat omnibus rebus agendis: sic etiam &
propria voluntas, quæ est abyssus profundissima,
quæ vix penetrari & intelligi potest. In multis enim
rebus (etiā illud non sentiamus) immiscet sese
sub diuersis coloribus, nunc sub discretione, nunc sub
charitate, nunc sub necessitate, nunc sub misericor-
dia; aliquando sub iustitia, nonnunquam quasi alte-
ri cupiat dare exemplum, aut ne cui sit molestus;
subinde sub alijs honestissimis titulis, sub quorum
coloribus homo facit potius quod vult, quàm quod
debet, magis sequitur propriam voluntatem, quàm
voluntatem Dei: & sape hoc ipse non animaduertit,
imò contrarium se facere arbitrat. Hoc autem
etiā non semper sit peccatum, tamen error est, dum
facientes propriam voluntatem, Dei nos facere vo-
luntatem arbitramur. Quare cum inimici iidem
sint, & modus oppugnandi idem; oportet quoque
ut eadem sit resistendi ratio: hoc est, ut generetur in
nobis sanctum odium contra eandem voluntatem;
ut abnegemus eam in omnibus, quantum fieri po-
test; ut sponte optemus potius regi ad arbitrium al-
terius, quàm nostrum, magisque nobis placeat hu-
milis obedientiæ subiectio, quàm libertas propriæ
voluntatis: omnia suspecta habendo, ad quæ fertur
iudicium nostræ voluntatis, nisi prius bene exami-
nentur. Præterea, quidquid euenit, id accipiendum

est tanquam de manu Dei, quantumvis id aspe-
rum sit & durum; cum ipse capillos capitis nostri
numerauerit, & folium arboris non cadat in terram
sine illius voluntate. Dicamus igitur in omni aduer-
sitate cum Salvatore nostro: Calicem quem dedit mi-
hi Pater, non bibam illum?

Cum autem victus à propria sua voluntate in a-
liquem defectum labetur, ingemiscat, & suspiret ex
intimo corde: ne tamen ob hoc animum abijciat,
sæpius licet hoc in die accadat: sed inuocet Dominū,
& dicat: O Domine Deus meus, quàm miser ego
sum, siquidem taliter adhuc in me passionēs domi-
nantur. O quàm debilem me deprehendo, & lan-
gidum: Arbitrabar iam voluntatem meam mor-
tificatam, & heu nunc iterum eam non minùs durā
& rebellem experior, quàm antea. Tamen, o Do-
mine, de tua pietate & gratia non diffido. Miserere
mei Domine, & adiuua me: propter amorem tuum
ecce nunc iterum propono cautius ambulare, meip-
sum & omnia propter te abnegare. In hunc modum
oret, & animum refumat, nec arbitretur se ideo gra-
tiam Dei perdidisse, quod imperfectus adhuc est:
fieri enim non potest, ut acceptus Deo non sit ille,
qui ex toto corde laborat, ut perfectus fiat: & beatus
ille, qui in medio istorum laborum animam exha-
abit.

Video quidem hanc mortificationem in princi-
pio esse difficilem; postquam autem homo aliquan-
diu in ea exercitatus est, statim accedente gratia &
ope diuina facilis fit: sicut omnia, quantumvis aspe-
ra, vbi atque exercitio fiunt mitiora.

Hic igitur medijs acquiritur mortificatio propriæ
voluntatis: & de illo, qui iam eod peruenit, intelligi-
tur illa Apostoli verba: Mortui enim estis, & vitæ ve-
stra abscondita est cum Christo, in Deo. Si vultis autem
scire, quando homo huc perueniat, hoc est, quando
quasi mortuus sit; dico, quod tunc erit, quando post-
ponit suam voluntatem voluntati diuinæ; cum re-
pellit à se amorem proprium, quando renunciat
mundi voluptatibus, quando mortificat inordinata
camis suæ desideria, cum se omnium iudicat vilissi-
mum, cum lubens morem gerit hominibus propter
Deum, quando non implicatur cogitationibus su-
perfluis; cum alterius dicta vel facta non iudicat, sed
omne iudicium Domino relinquit, cum laudatus
non exultat, aut vituperatus non contristatur; cum
omnem iniuriam & aduersitatem fert patienter,
cum de nemine conqueritur, & cum omnibus ho-
minibus aperit sinum cordis sui, & suspicit illos tan-
quam viuā templā Dei. Qui hæc omnia facit, is verè
mundo mortuus est, & viuunt Deo.

DE MORTIFICATIONE ET purificatione appetituum, passionum, quæ naturalium.

CAPVT VII.

Post mortificatum amorem proprium, propriam
que voluntatem, sequuntur passionēs & in-
clinationes, quæ hinc procedunt: quæ etiā mor-
tificandæ sunt, tanquā ex illa radice pullulantes. Ut
autem hoc intelligatur, sciendū est, in anima nostra
duas esse partes principales; quæ à Theologis vocan-
tur portio superior, & inferior. In superiori (quæ vo-
catur spiritus & mens) est voluntas, & intellectus,
qui regit voluntatem, & quasi oculus illius est. In in-
feriori est appetitus sensitiuus, cum imaginatione,
quæ etiam est quasi oculus huius appetitus, à qua
mouetur. In hoc appetitu constituit Philosophi vn-
decim affectus, quos nos passionēs possumus appella-
re, aut motus naturales, ut sūt amor, odiū, tristitia,
lætitia, desiderium, fuga, timor, inuidia, confidentia,
diffiden-

Quid faci-
endum cum
quis lapsus
est.

Quis mor-
tuus spiritu-
aliter.
Coloss. 3.

Portio ani-
ma superior
quæ.
Inferior ap-
petitus.
Affectus
vndecim.

Sanctum
vultum requi-
ritur ad pro-
priam volun-
tatem super-
iudicium.

diffidentia, & ira. Hæ duæ partes, & quasi Respub. sunt in homine: vna est quasi bestiarum, altera est quasi Angelorum. Quidquid enim est in illa parte inferiori, habent etiam bestiae, & alia animalia, sicut nos. Sciendum autem est, ante peccatum portionem hanc inferiorem perfecte subiectam fuisse superiori, non aliter atque res ignobilior nobiliori, & tanquam naturalis seruus suo domino subijcitur. Per peccatum autem amissa est ista subiectio, quæ per Sacramentum Baptismi non restituitur, etiam si peccatum deleatur, quod peperit hæc rebellionem: atque ita in nobis remanet ista perturbatio, & rebellio nostrorum appetituum, vt sit materia meriti, & exercitium virtutum.

In quo consistat virtus.

Virtus igitur consistit in victoria & moderatione harum passionum, & ibi consistit etiam pax interior, & vera libertas hominis. Versatur igitur maior pars virtutum moralium in refranandis, & moderandis his passionibus, specialiter autem fortitudo & temperantia, cum omnibus alijs partibus & speciebus harum virtutum, quæ ab ipsis comprehenduntur. Quemadmodum enim sanitas, & bona corporis dispositio consistit in proportionem quatuor qualitatum, & elementorum, ex quibus sumus compositi; infirmitas autem in perturbatione eorundem: sic etiam sanitas animarum nostrarum spiritualis, bonaque & mala dispositio illarum consistit in temperantia, & intemperantia passionum: quæ cum moderatæ sunt, rectè valemus; cum immoderatæ, spiritualiter agrotamus.

Simile.

Luc. 2.

Qua mala parunt appetitus.

Debet igitur homo semper aduigilare, vt custodiat has passiones; quemadmodum in figura dicitur, quod faciebant pastores, quibus Angelus natiuitatem Domini annuntiavit, qui vigilabant, & custodiebant vigilas noctis, super gregem suum. Igitur & nos vigilare debemus, & diligenter curam habere harum passionum naturalium, quæ tanquam bestiae mouentur ad præsentiam cuiuscunque obiecti, non aliter, atque bestiae: præuenientes saepe rationem, & eripientes illi prærogatiuam. Et hæc sunt illæ quæ faciunt nos similes bestiis, in modo sequendi appetitus, exturbantes nos ex sede & dignitate regali hominum, & facientes tanquam animalia bruta; obliterantes imaginem Dei, & imaginem bestiarum substituunt. Hæ faciunt nos seruos Daemonum obstreperos Deo, captiuos peccati, mancipia mundi, & subiectos omnibus miserijs & mutationibus illius. Hæ excæcant intellectum, captiuant voluntatem, debilitant liberum arbitrium, turbant pacem conscientie, exterminant spiritualem animæ læticiam, priuant eam vera libertate, impediunt quietem conscientie, expellunt ex anima virtutes, & loco earum introducunt vitia: sunt denique causa, cum moderatæ non sunt, omnium malorum. Quomodo itaque locum habere poterit amor Dei, vbi passiones dominantur: maximè cum sint legitima filia amoris proprii, & arma illius?

Oportet igitur vt prima serui Dei cogitatio sit, hunc appetitum cum omnibus suis passionibus refranare; quasi equum indomitum, non laxando ei habenas, nec permittendo vt os ad quæcunque appetit extendat: sed certam illi mensuram præscribendo, ne fatietur illis, quæ ei placent. Caveat itaque ne cor suum illaqueetur immoderata affectione rerum visibilium, & bonorum apparentium. Non prosequatur immodica affectione creaturam aliquam, licet bona sit: etsi enim obiectum bonum sit, affectio tamen bona non est, cum est immodica. Videmus enim laminam auri non minus impedire visum, quam laminam plumbi. In omnibus rebus quas videbis, audies, tanges, possidebis, aut contrectabis, semper caue ne cor inordinato aliquo affectu capiatur; si-

ue affectus ille sit amoris, siue timoris, siue tristitie, siue lætitiæ, siue denique ira: singuli namque horum affectuum oppugnant, turbantque animam, & in ea relinquunt semen, quod producit fructum variorum cogitationum; quæ se repræsentant, & nos inquietos faciunt orationis tempore. Vbi audies aliquam historiam, aut negotium aliquod terrenum; audi id quasi per contemptum, tanquam rem non magni momenti: omne enim, quod est Deus, aut nos ad Deum non adducit: exigui non est pretij. Quemadmodum enim cereus in aquam missus, in-
de extrahitur tam sicus, quam erat antea: sic cor serui Dei, etsi versetur in medio mundo, à rebus terrenis mundanis nil magis, quam pisces de sale marino contrahit. Natus enim super omnia, nec se finit ullis fluctibus immergi, instar olei inter omnes liquores, quod illis infusum, semper supernaturat. Neque minus necesse est, vt talis semper cura & cogitatio sit in retrahendo animo à rebus exiguis, quam à magnis: siquidem non minus (sicut diximus) animam illaqueat affectus illarum, quam harum, cum est inordinatus. Quia in re, inquit Celsianus, decipiuntur multi, qui postquam omnibus huius seculi rebus nuncium miserunt, tandem illaqueantur ad eod amore rerum partiarum, vt ob id perturbentur, & animæ suæ pacem amittant interiorem.

Qui itaque passiones suas sic temperatas habebit, & refranatas, hic virtutes morales, quæ consistunt in moderatione earum, inueniet; animam suam reddet tranquillam, eamque veræ Sapientiæ faciet discipulam, quæ in hac quiete reperitur. Inueniet quoque veram libertatem, & animæ pacem interiorem, quæ est fructus iustitiæ, & quæ præparat habitaculum Deo, quem nos querimus.

DE MORTIFICATIONE MALARUM INCLINATIONUM, & de particularibus cuiuscunque defectibus.

CAPVT VIII.

Tanta est debilitas & miseria, in quam natura humana per peccatum lapsa est, vt postquam iam anima ab his passionibus, propriaque voluntate, quæ generaliter in omnibus reperiuntur, purificata est, resistent adhuc expugnandi particulares quidam defectus, & prauæ inclinationes, quibuscum singuli nascuntur, aut quas longo usu acquisierunt. Vnde videmus hunc naturaliter proclinem ad iram, illum ad gulam, istum ad acediam, quosdam ad vanam gloriam, nonnullos ad concupiscentiam. Reperiuntur multi temerarii, altissimi, Varii vitiis malitiosi; alij pusillanimes, inuidi, maledici; quorundam sibi placentes, vani, amici ventorum, & auræ climatonum, populares, multos videmus naturaliter esse presumptuosos, propriarum laudum buccinatores, effusos ad quiduis appetendum, & qui impetu quodam feruntur in id, quod desiderant, nec pauciores reperiuntur propria opinionis amatores, propriaque sententia propugnatores. neque exigui est eorum numerus, qui capitales sunt molestiarum & laborum inimici, propter nimium auiorem, quo proprium corpus diligunt, non volentes illud in remissa nimia contristari. Sed quis poterit enumerare omnia genera defectuum, qui sunt in hominibus, quorum numerus ipsorum hominum numero exæquatur?

Facile iam conspicitur, quam omnia hæc Deo aduersentur, & quam inconueniens ex his constitutur eius amor lectulus. Oportet itaque omnia hæc vt diuersorio, seu cenaculo quod Deo præparatur, expellantur: siquidem vna sola inclinatio mala, non superata, potest impedire perfectionem, atque alijs hostibus animæ portam aperire. Necesse est igitur, vt homo

ut homo omnium defectuum suorum sit diligentissimus & severissimus censor, petatque sine intermissione lumen à Domino, cuius beneficio possit defectus, affectusque suos liquido cognoscere: petat & fortitudinem, qua illos vincat, & sibi subijciat. Qui enim in Evangelio ex aqua potuit facere vinum, is etiam poterit mutare naturales inclinationes, iisque præcipere, ut virtuti serviant. Et quia illic pugna est ferventior, ubi rebellis natura est potentior; oportet etiam ut ibidem maior adsit labor, vigilantia, & fortitudo. Observe autem, ne amor proprius impediatur cognitionem sui ipsius: semper enim est suspectus iudex in causa propria. Gratum ei sit de omnibus suis defectibus admoneri, & cogitet eum, qui hoc facit, magnum sibi aperire thesaurum: nisi enim cognosceret, emendare non posset.

Neque verò contentus eo esse debet, quod semper petat à Domino lumen & fortitudinem, ad cognoscendum, & vincendum: sed oportet ut ipse quoque manum admoveat, pugnet, faciatque omne, quod in eo erit. Manum igitur pectori admoveat, examinet, atque percruretur omnes angulos sue conscientiae: discutiat omnia sua vitia, ad quae sese magis propendere novit, siue ad odium, iram, gulam, acediam, invidiam, loquacitatem, adulatorem, iactantiam, vanam gloriam, levitatem, cordis facilitatem, & molliem: siue ad amorem proprii corporis, superbiam, pusillanimitatem, cordis debilitatem, aut avaritiam, & sic de alijs vitijs omnibus, armetque se, & descendat in arenam ad gloriosam hanc expeditionem (qualis est vincere semetipsum, omnia hæc monstra ex anima eicere: terram promissionis ab his bestiis venenosis purgare; nec somnum dare oculis, nisi prius hæc omnia consummauerit) cum laude faciendam. Neque commoiori via poteris vitia, malisque inclinationes tuas exactè cognoscere, quam si studeas contrarias virtutes acquirere. Cum enim virtutem amplectimur, statim prodit se contradictio vitij contrarij. Nunquam enim homo cognoscit vim suorum vitiolorum, nisi cum operam dat, ut ea relinquat, atque ab ijs liberetur.

Examinandum esse conscientiam.

Iuvabit ad hoc etiam statutis temporibus examinare conscientiam, quod saltem semel in die faciendum est. Intret igitur homo secum in iudicium, omnes malos affectus suos producat, examinet omnia sua verba, opera, cogitationes, & intentiones quas habuit: in illis fervorem quoque & deuotionem, quibuscum singula fecit: castiget se, & poenitentiam agat pro malefactis, idque aliquo opere satisfactorio convenienti delicto: oretque sine intermissione Deum, ut gratiam sibi det, cuius ope tandem victor evadat. Noui quandam personam, quæ sub noctem examinans conscientiam suam, si se in aliquo verbo deliquisse sentiebat, linguam morfu castigabat, volens poenitentiam agere pro eo, quod perperam erat locuta: & aliam, quæ disciplinam sibi inferebat, pro eo, & quocunque alio delicto. Si quis hæc observet, præterquam quod pro culpa satisfaciit, etiam animam suam reddit magis ordinatam, & timidam, ne in posterum in eadem, aut similia peccata relabatur. Potest autem unusquisque suo modo sibi ipsi poenitentiam iniungere, præcedentibus conformem.

Vtile quoque erit singulis septimanis semel secum inire rationem victoriarum, quas illo tempore obtinuit de particularibus vitijs: & si secum circumferat aliquem admonitorem: ut si carnem nudam cingat aliqua re dura & molesta: quæ est loco monitoris, & stimuli, ut in hoc vel in illo cautè ambulet, atque non dormiat.

Hoc igitur modo tandem eiciet omnes Iehus-

os (hoc est, omnia vitia, & malas inclinationes) ex terra promissionis, quæ est ipsa anima: ut in ipsam habitatum veniat Deus: quandoquidem (ut diximus) si non expellamus ex anima nostra quicquid Deo contrarium est, & dissimile, non poterimus in illum transformari.

DE VICTORIA ET PURIFICATIONE.

de omnium peccatorum.

CAPVT IX.

Diximus hactenus de primarijs radicibus, & fontibus omnium peccatorum, qui sunt amor proprius, propria voluntas, passionesque, & malæ carnis inclinationes. Hi sunt quatuor præcipui venti, qui mare turbant, & terram sursum atque deorsum vertunt. Hæc sunt quasi quatuor elementa, ex quibus componuntur omnia mundi peccata. Hæc sunt quatuor flumina, quæ egrediuntur, non de paradiso voluptatis, sed de corruptione peccati, quæque irrigant omnes plantas vitiorum, quæ nascuntur in care nostra. Et quia abunde iam satis diximus de radicibus, & seminibus malorum; etiam aliquid dicendum est de fructibus eorum, qui sunt ipsa peccata, & mala. Hæc enim maiora secum in animam inferunt damna, & arctius obferant portam amoris diuini, quem hic quarimus. Scriptum est enim; *Qui diligitis Dominum, odite malum.* & alibi; *In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Psalm. 96. Sap. 1.

Cum autem peccatorum genera duo sint, unum mortalium, alterum venialium: de mortalibus fuisse satis diximus in secundo libro Dñcis peccatorum: ubi tractatum est de remedijs septem vitiorum capitalium. Superest ut de venialibus aliquid dicamus; quæ etsi non deleant charitatem, tollunt tamen fervorem illius, & disponunt ad mortem eius. Obscurant etiam animam, impediunt deuotionem, examinant cor, præcindunt filum bonorum exercitiorum, distrahunt hominem, & nebulam quandam inter Deum & illum excitant. Oportet igitur, ut unusquisque diligenter vigilet in custodia sui ipsius tot oculis, sicut illa animalia Ezechielis representant, circumspectans, & cum omni studio examinans omnia opera, verba, proposita, desideria, & cogitationes suas: ne latum vnguem (si fieri possit) à divina lege digrediatur. Hæc enim est primaria dispositio, quæ requiritur ad querendum hunc Dominum, ei que hospitium præparandum: iuxta illud Psalmi; *Instruat & iudicium præparatio sedis tuæ.* tali enim suppellectili domum suam vult esse ornatam Dominus, qui cum sanctus sit, etiam sanctum requirit tabernaculum, in quo habitabit.

Ezech. 10.

Psalm. 82.

Superius diximus, puritatem cordis principale medium esse, ad amorem Dei comparandum: nequaquam autem minima pars huius puritatis est, conscientiam habere mundam, quæ liberat hominem ab omni peccato, & tabernaculum Domini sanctificat. Adamas pretiosus non in annulo ferreo, sed in auro purissimo collocatur: sic etiam celestis hæc virtus non infunditur animæ immundæ, sed purgatæ & nitidæ. Id multis allegorijs insinuat Ecclesiasticus, dicens: *Dominum Sapientia præcepisse, quod habitaret in Jacob, & in Israel hereditaretur, & in electis suis mitteret radices.* Et, inquit Sapientia, *in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requiesci, & in Ierusalem potestas mea. Et radices in populo honorificato, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* His modis loquendi significat, quàm pura, munda, & immaculata debet esse domus, in qua requiescet divina Sapientia, & meritò; Quemadmodum enim speculum quo tersius & nitidius est, eò clarior in eo splendent radij solares: sic etiam quo mundior & purior erit anima, eò magis lucent in ipsa radij divini.

Simile.

Eccl. 24.

Simile.

diuinæ sapientiæ, & tantò perfectiorem concipiet intelligentiam rerum omnium, idque propter eximiam suam puritatem. Hanc ob causam homo diligentissimam vitæ suæ debet habere rationem, cōsiderando semper ubi pedem figat, ne in præcipitiū peccati labatur: in omnibus, & ante omnia negotia se preparando, implorandoque gratiam & opem diuinam; maturum præmittendo, iudicium, & diu deliberando, si quid faciendum sit, ne à terminis rationis aberrer. Præterea sic sibi ipsi irascatur, sic se castiget & in ordinem redigat, ne subsidium vitæ spiritalis amittat, ne præscindat filum bonorum exercitiorum: etiam si nonnunquam incidat in leuem aliquem defectum, sine quibus vita hæc transigi non potest. Naturale namque est, quod peccatum secū adfert timorem & pauorem, ut dicit Sapiens; *Fortitudo simplicis, ait, via Domini: & paucior hi qui operantur malum.* Iste paucior cū adeo naturalis sit peccato, multi sic ab illo absorbentur: quod amittunt vigorem & alacritatem, quibus tamen opus est in continuandis virtutum exercitijs. Ea itaque seruanda est moderatio inter audaciam & timorem, ne timor nimius animum deiciat, neve defectus audaciæ causa sit, cur opus intermittatur.

DE ALIIS IMPEDIMENTIS AMORIS DEI, & præcipue de nimis occupationibus.

CAPVT X.

Hæc sunt præcipua impedimenta diuinæ charitatis vel amoris. Sed & præter ea, quæ hætenus commemorauimus, alia sunt, quæ virtutem hanc impediunt: quæ quidem facile nominari, sed non facile possunt superari. Sit igitur hæc generalis regula: Omne id quod aut dissimile est, aut contrarium Deo, etiam contrarium est eius amoris. Cū enim huius amoris natura sit, vnire animam cum Deo, eamque in illum transformare; & cum vnio similitudinem rerum vniedarum præsupponat, sequitur omne id quod impedit similitudinem, etiam impedire vnionem, & per cōsequens, amorem. Sic videmus ignem naturaliter aquæ vniri non posse, cum illi contrarius sit: sic nec aqua oleo; et si enim contraria non est, oleo tamen dissimilis est. Sed & ferrum cretæ non miscetur, propter eandem rationem: illud enim durum est, hæc mollis. Miscetur autē commodè vnum oleum cum oleo altero, aut quicquid alius liquor cū liquore sibi simili.

Hanc igitur ob causam necesse est, ut cupidus amoris Dei ex anima sua eiiciat, non tantum omnia peccata mortalia, quæ ex diametro pugnant cum amore diuino; sed etiam omnes imperfectiones, & omne id, quod Deo est dissimile, ut sic vnietur anima cum Deo, eique (quantum humana conceditur debilitati) similis efficiatur. Huc ascendit intellectus Plotini Philosophi Platonici, qui dicebat; In Deo tres sunt proprietates quæ sunt, esse vnicum, & summum bonum: debet ergo etiam homo in tuo genere se talem facere, ut vnus cum ea fiat. Proinde, inquit, qui vult vniri bono, eique similis effici, debet se abstinere ab omnibus rebus malis, & qui summo, abstineat ab omnibus inferioribus: & qui vnico abstineat à multis. Quo loco in paucis verbis tres gradus tradit ad hanc vnionem necessarios. Primus, & maximè necessarius est, abstinere ab omnibus rebus malis: hoc est, ab omnibus peccatis. Secundus & perfectior est, abstinere ab omnibus rebus inferioribus, vilibus, & abiectis, etiam si mala non sunt: ut vacare negotijs secularibus, contrahibus, commercijsque & negotiationibus. et si enim hæc illicita non sint, tamen exercitia sunt vilia, abiecta, & seruo Dei indigna: nisi fortè aut obedi-

tia, aut charitas aliud postulent. Tertius est perfectissimus, abstinere scilicet à *πολυπραγματούτων*, hoc est, ab occupationum multitudine: etiam si nec mala sint, nec viles, sed bonæ, dummodo sint superflue: hoc est, quando occupationes plures sunt & grauiiores, quam vt debilitas spiritus & corporis nostri ferre queat. Quapropter sæpe sub onere labimur, spiritus obruitur, & deuotio amittitur. Ob multitudinem namque negotiorum, nec tempus superpetit, nec cor sufficit diuini amoris exercitijs. Pulcherrimè contra hanc nimiam occupationum multitudinem scripsit S. Bernardus ad Eugenium Papam. Ab hac vt nobis caueamus, monet etiam Sapiens, dicens, *Fili, ne in multis sint actus tui:* quoniam nim in paucis occupatur, in spiritu Sapientiæ plus proficit. Quam sapientiam ille vult nos apprehendere in tempore quietis. Idem quoque præcipit D. Franciscus suis Fratribus in Regula: ut quidem laborent, sed ita, ne tanta sint exercitia, vel occupationes, ut spiritus orationis opprimatur: cui omnia debent subseruire. Quod sanctus ille docet, etiam docuit Seneca, qui multas occupationes vocat summum virtutis impedimentum: ait enim: Nemo vnquam ad bonam perueniet conscientiam, qui præter modum occupatus est. Hoc dicere potuit Philosophus: necesse mirandum. Etenim si virtus maior est omnibus rebus huius mundi, mirum non est, si alias occupationes omnes non necessarias respuat, ad acquirendam rem tam difficilem. Qui itaque auferet e medio tria hæc impedimenta, certus sit, quod ingentem hunc thesaurum consequetur.

Nemo aut miretur aut reprehendat, quod manū meam in hoc negotio mortificationis adeo defatigauit: experientia namque docet, multos esse vtriusque sexus homines, orationis exercitio, alijsque virtutibus & bonis operibus deditos, qui tamen in propria voluntate sunt obstinati: habentque passionem tam viuas, quam si nihil ipsi esset cum Deo negotij, & tandem si fortè illos aut extremo tangas digito, erumpunt cum impatientia in conuitia, verbaque maledica, ut ostendit Chrysostomus in libro de Sacerdotio: & quotidiana docet experientia. Hi magis student orationi ex voluptate, aut vitæ dulcedine: quam ob finem, in quem oratio est instituta, nimirum ut Dei voluntati satisfiat, & propria mortificetur; cum extra controuersiam sit, vnā viuere, alteram mori debere.

Et si Christiano lectori nimium esse videatur, quod nos requirimus: meminerit, quod hæc requirimus ab illo, & illum vicissim Deo reddimus. Ratio difficultatis huius, est magnitudo eius, quod queritur. Et si enim Dominus sit tam liberalis, & tā communicatiuus sibi ipsius, omniumque rerum suarum: tamen cum etiam sit infinitè sapiens, & iustus, disponit omnia in numero, pondere, & mensura. Oportet igitur hominem, ut dona tam pretiosa percipiat, ad maximos labores disponi: ut sit aliqua proportio inter id quod datur, & quod accipitur: inter dispositionem, & formam, inter merces, & pretium.

Hæc sunt, Christiane Lector, principales res, quas mortificare & purgare in se anima debet, quæ desiderat vnus fieri cū Deo spiritus, & introduci in cubile & thalamum celestis illius Sponsi. Id multis modis in Scriptura diuina adumbratum est. Primò significatur hoc per generalem illam circumcisionem, quæ Deus præcepit Iosue, ut omnes filios Israel circumcideret, cū iam Iordanem transisset, terramque promissionis essent ingressi. Terra enim promissionis (quod omnes in hac vita proficiscimur per desertum penitentia) est perfectio charitatis, ad quam nemo perueniet, nisi per generalem circumcisionem amoris proprii, omniumque aliorum malorum

Peccatum
secum adfert
timorem.
Prou 10.

Generalis
regula, quæ
impedimen-
ta noscuntur
amoris Dei.

Simile.

Tres gradus
vnionis cum
Deo.

Cur autem
in his sumi
praesentur.

Chrysost.
de Sacerdotio
lib. 1.

Simil.

Ios. 5. Iorum & imperfectionum, ex eo featurientium. Hoc est quod Angelus Domini præcepit eidem Iosue, vt discalcearet sese, antequam pedem figeret in terrâ promissionis: hoc est, regionem amoris Dei. Hoc est Psalterium illud decem chordarum, & tympanum ex membrana pecorum, quæ sumere præcipit Deus in Psalmis, & in quibus vult laudari: hoc est, corpus & anima mortificata, & libera ab omnibus amoribus, & oblectationibus sensualibus: quemadmodum enim chorda & membrana, quæ primas partes habent in his instrumentis, necessario debet esse sicca, & ab omni humore, quem à corpore animalis traxerunt, libera: sic oportet vt homo habeat mortificatam, & exiccatam (quantum fieri potest) humanitatem, & debilitatem, quam traxit à ventre matris sue, si velit esse instrumentum viuum laudis Dei. Quando fluena Iordanis siccauerat Dominus, dicitur, quod omnibus Regibus terræ dissolutum est cor, & non remansit in eis spiritus, quodque seipso & regna sua mox filijs Israel tradiderunt. Sic & Diaboli, cum vident siccare fluena nostram passionum, appetituumque sensualium, confestim se vincetos dedunt, & regionem amoris huius cælestis

nostram esse fatentur. Sed ne deficiat homo, existimans rem esse difficilem, aut impossibilem, exuere omnem humanitatem & imbecillitatem: Deus enim ipse iuuabit nos, & potiores partes sustinebit in hoc opere, quod molimur: hoc enim in lege per Prophetam suum promittit his verbis: *Circumcides ner. Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in corde tuo, & in tota anima tua, vt possitis vivere.* Ex quibus verbis duo possunt erui: primum est, necessario refecandos esse ramos amoris proprii, vna cum suis radicibus (quoad fieri potest) omnibus, vt locus detur amoris Dei: ea namque circumcisio cordis non est aliud, quam ipsa mortificatio, de qua hucusque nobis sermo fuit. Secundum, quod opus hoc, aliquin supra vires humanas, maximopere iuuat & promouet, est diuina gratia: promittit enim ipse Dominus, se circumcisionem hanc executurum, quam promissionem ipse implet, dando nobis spiritum & fortitudinem, ad circumcidendum, & mortificandum omne id, quod impedit amorem illius. Hic constituemus sine prioris huius libri partis, & secundam, prout in exordio polliciti sumus; auspicabimur.

Deus in mortificatione potiores partes sustinet.

Deut. 30.

SECUNDA PARS HVIVS LIBRI:

In qua agitur de primarijs virtutibus & exercitijs, quibus amor Dei acquiritur.

DE PRIMO EXERCITIO, CONTINVA SCILICET MEMORIA
Dei, & de petitione diuini huius amoris.

C A P V T XI.

DVo in principio huius libri diximus ad comparandam charitatem esse necessaria: vnum est, eliminare ex anima nostra omne id, quod in ea est, vel contrarium, vel dissimile Deo: alterum, operam dare, vt eam semper habeamus occupatam, & Deo unitam per deuota & amoris plena exercitia. Id manifestum fiet hoc exemplo: Videmus eos, qui ex viridi & acerbo fructu Conferuam facere volunt, ante omnia bene coquere, vt eliciant omnem viriditatem & amaritudinem, quam habet naturalem. Quo facto, secundo coquunt in saccharo, vel in melle, vt quod in prima coctione perdidit amaritudinem, acerbitemque naturalem, quam habebat, in secunda coctione dulcedinem liquoris, quo conditur, contrahat: Sic etiam vt transformetur homo per amorem in Deum, necesse est primo exuere omne id, quod est contrarium Deo: hoc est, omne malum. Deinde oportet vt Deo iungatur per exercitia orationis, & amoris: per hanc enim coniunctionem fiet vnus spiritus cum Deo. Et quia vsque huc de priori tractauimus, nunc ordo postulat, vt ad posterius progrediamur: hoc est, ad exercitia & media, quibus anima nostra iungitur Deo, quod est finis totius perfectionis.

Ante omnia igitur præsupponendum est, quod (vt quidam Doctor ait) primarium serui Dei studium debet esse, vt anima eius semper Deo per orationem, & actualementem amorem adhæreat. Quamdiu enim perseuerauerit in hoc, Sol ille iustitiæ, qui ad eorum radiorum suæ lucis est communicariuus, sic eam illuminabit, quod faciet sibi similem. Etenim per hanc spiritualementem conjunctionem tam formosa fit,

quam nubes à Sole percussa, eiusque radijs amicta, à quibus eum in modum illuminatur, vt Sol ipse esse videatur. Quod dicimus, in duobus Philosophiæ principijs consistit, quorum vnum est, Omnem causam naturalem id agere, vt effectum faciat sibi similem. Sic videmus ignem vnum, alium ignem producere; vnum frigus, aliud; vnum calorem, alium. Id ipsum, & inter causas ea facit magis, quæ est potentior & nobilior ad operandum. Secundum est, quod omnes hæc causæ operantur, cum habent materiam, in qua operabuntur, iuxta se positam: nam si remotior esset materia, iam causæ non possent operari in illa: ignis enim non calefacit, nisi quis ad illum accedat. His sic se habentibus, cum dubitare nemo possit, quin inter omnes causas prima, nobilissima, & ad operandum potentissima, Deus ipse sit; sequitur, Deum maxime actiuum, sui ipsiusque & diuinæ suæ similitudinis maxime communicatiuum esse, his, qui capaces sunt: qualis est homo. Sed hæc applicatione opus est, vt scilicet homo se coniungat cum Deo, & influentias diuinæ lucis ipsius excipiat. Hæc cum Deo coniunctio non fit passibus corporis, sed spiritus: coniungendo scilicet intellectum & voluntatem nostram cum Deo, per considerationem & amorem. Et quanto diutius id homo continuabit, in eoque perseuerabit, tanto plus participabit de radijs lucis eius. D. Bernardus ait hoc ipsum quattuor potissimum exercitijs fieri, lectione scilicet, meditatione, oratione, & contemplatione: quæ sunt tanquam quattuor gradus, quibus homo pius & deuotus ad Deum ascendit: inter quos hæc est differentia, (vt Doctor quidam ait) quod lectio pedetentim incedit, oratio celeriter currit, meditatio velocissime velat.